DE RINUCIO ARETINO GRAECARUM LITTERARUM INTERPRETE

SCRIPSIT DEAN P. LOCKWOOD

DE temporum ordine:[1] (1) Rinucius, dum in Graecia studiis graecis incumbit, tria opuscula convertit. (a) Luciani *Dialogum Mortuor. x.*, Bonacursio Candico dedicatum, velut testimonium disciplinae edidit, praeceptori suo Iohanni Simonaco[2] (vel Simeonaco) protopapae Candico palam gratias agens (cf. Rinucii Prooem.).[3] (b) Aristoph. *Plutum* ca. 400–626 (vel *Peniam Fabulam*),[4] cum in Creta transtulisset

---

[1] De vita et moribus Rinucii apud Traversarium et Pogium in *Epistolis* nec non apud Laur. Vallam in *Antid. in Pog.* aliisque opusculis pauca scripta videmus. Horum virorum testimonio atque ipsius Rinucii operibus notioribus, saeculo xv. male editis, rarius vero codicibus manuscriptis usi sunt scriptores qui saeculo xviii. Rinucium ab oblivione vindicarunt, scilicet Ang. Mar. Quirinus, Dom. Georgius, Apostol. Zenus, Fabricius, Bandinius, etc. Hos secuti sunt vir cl. Lessing et alii. Hac nostra aetate nihil novi addiderunt sed omissis vanis et absurdis omnia diligenter retractarunt Voigt-Lehnerdt, *Wiederbelebung d. class. Alterthums*, Berlin, 1893. Deinde Sabbadinius hoc demonstravit novum, Rinucium in Creta graecis litteris studuisse (vide adn. 2). Postremo ante duos annos edita est Rinucii Vita, quae iam anno 1887 a Fran. Ravaglio scripta erat (*Rinuccio da Castiglionfiorentino*, in *Miscell. Fran. Ravagli*, Modena, Vol. I, 34–46, 65–75; vide quoque Appendicem a G. F. Gamurrinio scriptam, *ibid.* 102–104). Ravaglius omnia iterum prolixe narrat; de temporum ordine nonnulla coniectat; nova haec profert: (1) pp. 65–67, Rinucium anno 1440 bis Perusiam ad amplissima officia suscipienda invitatum; (2) pp. 73–74, Rinucium annis 1455–1456 sub Callixto III. secretarium participantem fuisse; (3) pp. 103–104, exstare inscriptionem de s. Laurentii reliquiis a Pogio anno 1434 scriptam, qua de Rinucio nostro mentio facta sit.

[2] R. Sabbadini, *Le Scoperte dei Codici*, 1905, p. 64 (adn. 127) et p. 66 (adn. 142). Inter archiepiscopos Candienses ritus graeci apud Flam. Cornelium, *Creta Sacra*, Ven. 1755, p. lxvii sq. non nominatur Simonacus.

[3] Hunc dialogum Romae post Eugenii IV. fugam translatum esse propter verba 'hac temporum clade' (vide Prooem.) coniectavit Ravaglius, p. 45.

[4] D. P. Lockwood, *Aristophanes in the XVth Century*, Trans. and Proc. Amer. Philol. Soc. 40 (1909), p. lvi.

(cf. Prol.), primum Matthaeo cuidam Cretensi,[1] deinde multis post annis[2] in Italia iterum reverendo nesciocui patri dedicavit. Chriŝtophorum quoque Bondelmontium testem habemus, qui annis **1415–1416** in Creta peregrinatus ad Nicolaum de Nicolis anno 1417 haec scripsit:[3] "prope ad Austrum magnum et fertilissimum vidi Campum, cuius Rainucius meus affabilis sotius fabulam peniam dictam extraxit atque de eo omnia enarravit."[4] (c) Plat. *Critonem*, Manueli Palaeologo (obiit 1425) dedicatum, in Graecia ante reditum suum convertit (cf. Prooem.). In Italiam autem eum iam anno **1423** rediisse ex Ambrosii Traversarii celeberrima epistola[5] constat. (2) Rinucius in Italiam reversus, postquam Gabrieli Condulmaro legato Bononiae se adiunxit, Plutarchi opusculum Πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον huic patrono dedicavit, qui "rediens legatus de Bononia intravit Curiam **1424** Aug 24."[6] (3) Rinucius igitur Romam patronum suum comitatus,[7] mox Pogium graecas litteras docere coepit.[8] Subsequenti igitur tempori referenda est translatio *Decretorum Athenien.* (ex Demosthenis *Or. de Cor.*), quae Pogio dedicata est. Prima autem Rinucii de Demosthene translatio esse videtur. (4) Anno 1431 Condulmarus ille factus est Eugenius papa IV. Fere triennio post "inter hos turbulentos rerum curialium motus ac temerariam papae Eugenii ab urbe fugam,"[9] i.e. anno **1434** mense Iunio,[10] Rinucius *Epistolas* Diogenis Hippocratis Euripidis Pogio dedicavit neque occasionem praeteriit Eugenii papae obiurgandi (cf. Prooem.). (5) Inter annos **1440–1443**, per sex fere mensis ex aestate continuos, Rinucius patrono carens in

---

[1] Fortasse Matthaeo de Rethymo O. E. s. A., anno 1405 sqq. episc. Sitiensi, cf. C. Eubel, *Hier. Cath.* I, 479.

[2] Fortasse inter annos 1440 et 1443 (vide infra § 5), cf. Rin., Aristoph. *Plut.*, Epist., l. 7 et Abaris Pyth. Lys. *Epist.*, Prooem., l. 5 sq.

[3] E. Jacobs, *Cristoforo Buondelmonti* in *Beitr. z. Bücherkunde, etc. Wilmanns gewid.*, Lipsiae, 1903.

[4] Flam. Cornelius, *Creta Sacra*, Ven. 1755, P. I., p. 94. De hoc loco perbenigne me certiorem fecit vir cl. E. Jacobs.

[5] *Lat. Epist.* ed. P. Cannetus, Florent. 1759, VIII, 28, p. 385 sq. Cf. Voigt-Lehnerdt, *Wiederbelebung*, II, 45.

[6] C. Eubel, *op. cit.*, II, 4, adn. 6. Hoc opusculum Romae post annum 1429 ad Condulmarum reconciliandum translatum esse coniectavit Ravaglius, p. 44.

[7] Ambros. Traversarius, *op. cit.*, VIII, 9, p. 372.

[8] Pogius, *Epist.* ed. T. de Tonellis, Florent. 1832, II, 35. Cf. IV, 5; IV, 12.

[9] Prooem., l. 2 sq.

[10] Eubel, *op. cit.*, II, 7, adn. 4.

rebus adversis complura edidit opera.[1] (a) Luciani *Charontem* Iohanni Iuveni (le Jeune), card. Morinensi (18 Dec. 1439–9 Sept. 1451),[2] dedicavit et ad Laurentium Columnam misit. Aestate translatum esse ex his verbis constat: "Caloribus proxime superioribus, cum curia valetudine pessima laboraret et curialium aegrotantium strages in urbe maxima esset, . . ."[3] et "Itaque his immensis caloribus . . .,"[4] verum de inimicorum "persecutionibus" nihil. Prooemium incipit: "Seraphius Urbinas vir utriusque iuris interpres . . ." (b) Rinucius, mortuo Laurentio filio (?) et discipulo suo, qui "apud Ferrariam cum graecorum reductione concilium celebraretur" (i.e. Concilio Ferrarensi anno 1438) "ab ipsis graecis Mermerus fuit cognominatus,"[5] duas composuit *Monodias*,[6] quarum priorem Iohanni Iacobo medico, alteram Lucae Trossulo dedicavit. (c) Eadem aestate "his proximis," ut ait, "caloribus . . . cum aegrotantium urbs haec fere diversorium esset"[7] Luciani *Vitarum Venditionem* eidem Seraphio Urbinati[8] dedicavit, cuius in mentionem in prooemio *Charontis* iam inciderat. Dialogo autem translato ad Laurentium Columnam haec scripsit: "Diebus superioribus una cum litteris meis tuae Dominationi transmisi duas monodias quas edidi super obitu Mermeri mei . . . Ex post feci latinum Luciani dialogum qui inscribitur philosophorum illustrium vitarum venditio, . . ."[9] Animadver-

---

[1] Fortasse anno 1440, nam et die 19 Apr. et die 21 Nov. Perusiam invitatus, bis impeditus esse videtur quin officia honestissima iniret. Cf. Ravaglium, pp. 65–67, et G. B. Vermigliolium, *Memorie di Iacopo Antiquarj, etc.* Perugia, 1813, p. 160 sqq.

[2] Eubel, *op. cit.*

[3] Rinucii Epist., l. 3 sqq.

[4] Prooem., l. 19.

[5] Vide Prioris Monodiae exitum.

[6] Cod. *Bodleian. Canon. misc. 169* ff. 78r–79r: RYNUCIUS INFOELIX MAGRO IOHANNI IACOBO FOELICITATEM. *Nullum in adversis . . . . frequentius legas.* (MONODIA PRIMA) *Qualem pro quali . . . Laurentius nominaretur.* ff. 79r–80r: RYNUCIUS LOCULENTISSIMO (sic) VOCIS INTERPRETI LUCE TROSSULO SALUTEM. *Cum omnia . . . ingenii velim.* (MONODIA ALTERA) *Flete nunc valles . . . certe potiri.* Alteram Monodiam continet etiam codex *Pistoriensis 9*.

[7] Prooem., l. 7 sq.

[8] "Serafino Staccoli da Urbino," Ravaglius, p. 40. Dialogum anno 1430 vel paulo post translatum esse coniectavit Ravaglius, p. 44.

[9] Rinucii Epist., l. 2 sqq.

tendum est autem inter res adversas hanc novam includi: "ne succumberem persecutionibus illis, quas cum putabam iam diu esse sopitas, fortuna solito dirior exulceravit longe antea acriores."[1] Praeterea nusquam nisi in hac epistola et in prooemio alterius Monodiae, tamquam si de rebus suis omnino desperasset, de astrologia loquitur. (d) [Tum de Luciano aliud quoddam a Rinucio esse translatum sed non iam exstare coniecto, quoniam in prooemio Hippocratis *Epistolae ad Damagetum*, quam paulo post e graeco convertit (vide infra § i), sic scriptum est: "His brumalibus noctibus locupletissimos testes excitavi eosque in Latium transmisi, scilicet Lucianum Platonem atque Pythagoram."[2] Id vero neque ad *Charontem* neque ad *Vit. Vend.* referri potest, quos dialogos aestate translatos esse constat. Itaque tertium nescioquem dialogum de Luciano inita hieme transtulit.] (e) Platonis *Axiochum* Angellocto Fusco episcopo Cavensi[3] (obiit 12 Sept. 1444)[4] dedicavit Rinucius. Si quidem hieme editus est (vide supra § d), anno 1443 posterior esse non potest. Ad "persecutiones" quidem referenda sunt haec verba: "cum animadverterem crebrioribus in diem ictibus a fortuna sine requie percuti et in acerbiores curas quotidie versari . . . ad antiqua bonarum artium studia me contuli ut experirer si quo modo fortunam saevam mihi delenire valerem."[5] Primam hanc Rinucii de Platone translationem fuisse hinc patet: " . . . quippiam otii dabitur mihi, maiora illius divini hominis opera, quae permulta sunt atque pulcherrima, . . . ausim attingere."[6] (f) Platonis *Euthyphronem* eodem anno ac Luciani *Vit. Vend.* sed paucis post mensibus translatum esse ex his verbis constat: "Quippe cum persecutiones quae iam sopitae putabantur instar capitis hydrae solito diriores in me nullo meo vitio exulcerarentur denuo, nec in causa aequa aequum iudicem haberem, atque ancora qua maxime nixus eram non modo mihi defuerit sed nixu proprio praecipitium dederit, duxi animo contra stimulum non calcitrare sed quo melius possim ad feliciora tempora me servare"[7] et "Igitur inter cetera quae his longioribus noctibus lucubravi, Platonis dialogum de cultu deorum e Graecia traduxi in Latium . . ."[8] (g) Pythagorae *Aurea Verba* "Salvatoris nostri nataliciorum nocte"[9] e graeco translata, Petro Cicco Paulo civi romano dedicavit Rinucius. Quamquam "persecutiones" illas

---

[1] Prooem., l. 11 sq.

[2] Prooem., l. 23 sqq.

[3] Axiochum Guglielmo Filasterio card. s. Marci, qui de vita anno 1428 decesserit, dedicatum esse pro certo habet Ravaglius (p. 43; p. 39, adn. 3).

[4] Eubel, *op. cit.*

[5] Prooem., l. 28 sqq.

[6] Prooem., l. 46 sqq.

[7] Prooem., l. 19 sqq.

[8] Prooem., l. 29 sqq.

[9] Prooem., l. 14 sq.

silentio praeterit, huic tamen tempori referendum esse hoc opusculum e prooemio Hippocratis *Epistolae ad Damagetum* patet (vide supra § d). (h) Tum postridie (?) i.e. "inter haec Salvatoris nostri natalicia"[1] Abaris Pythagorae Lysisque *Epistolas* convertit, quas Nicolao de Acciapaccis, card. Capuano (18 Dec. 1439–3 Apr. 1447),[2] dedicavit. (i) Postremo illam de qua iam dixi Hippocratis *Epistolam ad Damagetum* Andreae de Sancta Cruce dedicavit. Andreas ille Concilio Ferrarensi advocatus apostolici consistorii interfuerat.[3] In Prooemio sic scriptum est: "Horum vestigiis innixus, cum id pusillum mihi fuit ereptum quo vitam vix tenuem ducebam, meque deiectum apud infimos viderem, ne omnino totus interirem, statui mortuos ab inferis scribendo excitare . . ., ut per me et viventibus prosint et testimonium exhibeant me non iure sic apud infimos esse religatum."[4] (6) Inter annos fortasse 1443–1446, adversante non iam fortuna, Demosthenis interpretationi Romae incubuit. (a) [Non exstat quae hoc tempore prior edita est translatio. "Demosthenis vitam," ut ait Rinucius,[5] "in commentarii formam ac eius pro Olynthiis orationes tres e graeco in latinum traduxi, illasque reverendissimo patri N(icolao de Acciapaccis) Cardinali Capuano perscripsi, quo tempore urbis Romae regimini praefuit." Quo tempore id fuerit nescio. Nicolaus de Acciapaccis, quamquam inter vicecamerarios S.R.E. vel gubernatores almae Urbis numquam nominatur,[6] fortasse ante exilium suum (18 Iun. 1446)[7] et post Eugenii reditum (19 Sept. 1443)[8] urbi praefuit.] (b) Demosthenis *Orationem ad Philippi Epistolam* Francisco Condulmaro, episc. Portuensi (ca. 1445 sqq.),[9] card. Venetiarum ac S.R.E. vicecancellario (ca. 1443 sqq.),[10] dedicavit. In Prooemio autem de Nicolao card. Capuano ut adhuc vivente loqui videtur,[11] quare orationem post Nicolaum mortuum (3 Apr. 1447) non edidit, nedum post *Aesopi Vitam* susceptam (16 Dec. 1446). Animadvertendum est autem quid scripserit Rinucius extremo opere de Philippi ipsius Epistola a Leonardo Aretino translata. (7) Postremo Rinucius aureo illo Nicolai V. regno quattuor edidit translationes. (a) De Aesopi

---

1 Prooem., l. 3.

2 Eubel, *op. cit.*

3 Mansi, *Amplissima Coll. Concil.*, 31B, 1429 sqq.

4 Prooem., l. 17 sqq.

5 Demosth. *Or. ad Philippi Epist.* Prooem., l. 45 sqq.

6 Moroni, *Diz. di erud. stor.-eccles.*, xxxii, 36 sqq.; xcix, 126 sqq.

7 Eubel, *op. cit.*, II, p. 30, adn. 83.

8 Eubel, *op. cit.*, II, p. 7, adn. 4.

9 Eubel, *op. cit.*

10 Eubel, *op. cit.*, II, p. 29, adn. 40.

11 Prooem., l. 47.

Vita anonyma Fabulisque centum in Epistola ad Antonium de la Cerda card. tituli S. Chrysogoni sic scripsit: "Quo tempore . . . Nicolaus pontifex quintus dum erat in minoribus ad dignitatem cardinalatus fuit promotus (16 Dec. 1446),[1] vitam Aesopi e graeco in latinum eius in nomine te hortatore suasoreque coepi transferre. Sed prius quam illam absolvissem, Sanctitas eius ad summi apostolatus fastigium fuit assumpta (6 Mart. 1447).[1] Deinde tu ipse saepius et frequenter me hortatus fuisti ut simul cum vita fabulas quoque traducerem. Quod libenter feci, licet non in tempore quo cupiebam, . . . Postremo cum ad extremam deduxeram manum, considerans pontificalem maiestatem maiora munera decere, eam in hodiernam usque diem dubius cui ascriberem apud me tenui nec illam edidi. Nunc cum Dominatio tua ad eiusdem cardinalatus dignitatem . . . devenerit (16 Febr. 1448),[1] visum est nimium fore absurdum, si hic Aesopus noster alii se dedicaret . . ."[2] (b) Aristotelis *Librum de Mundo* Nicolao V. dedicatum, deinde ad Antonium de la Cerda missum, principio anni 1449 Rinucium edidisse his rationibus conicio, quia et "longioribus noctibus,"[3] i. e. hieme, librum transtulit, et Nicolaum papam laudans "ecclesiam" inquit ". . . iam fere unieris,"[4] Felix enim antipapa 7 Apr. 1449 abdicaturus erat.[5] (c) Hippocratis *Epistolae XV:* Iussu Philippi medici Mediolanensis, quo melius intellegeretur *Epistola ad Democritum*, alias XIV epistolas "brumalibus noctibus"[6] "pridie quam curia pro peste vitanda ab urbe recederet"[7] latine reddidit Rinucius cunctasque Pontifici dedicavit, deinde ad Antonium de la Cerda, card. Ilerdensem (28 Mart. 1449 sqq.),[8] misit. Hiemi igitur annorum 1449–1450 referendum est hoc opusculum. (d) Bruti *Epistolas LXX*, "quo tempore curia ob pestem novissime recessit ab urbe"[9] "scismate sublato"[10] "noctibus brevioribus,"[11] i. e. aestate anni 1450, in latinum translatas, Pontifici dedicavit, deinde ad amicum veterem Laurentium de Columna misit.[12]

---

[1] Eubel, *op. cit.*
[2] Epistola Altera, l. 5 sqq.
[3] Prooem., l. 5.
[4] Prooem., l. 46 sq.
[5] Eubel, *op. cit.*
[6] Prooem., l. 16.
[7] Rinucii Epist., l. 6.
[8] Eubel, *op. cit.*
[9] Rinucii Epist., l. 4 sq.
[10] Prooem., l. 38.
[11] Prooem., l. 29.
[12] Fortasse prioribus temporibus referendae sunt octo Bruti Epistolae quae in cod. *Marcian. 1919*, f. 48 adservantur. Inc. *Bruti eple quedam cum responsivis latine per Rinucium facte. Brutus Pergamenis salutem dicit. Audio vos . . . .* Expl. *. . . . facultas minime adest.*

De codicibus:[1] Tres sunt codices primarii qui complura Rinucii opera continent: (**a**) Primus est *Baliolensis 131* = **B**, qui in catalogo typis impresso[2] summatim modo attingitur, desunt enim pleraeque rubricae. Liber est membranaceus ex tribus constans codicibus, quorum primus duodecim folia scripta duoque vacua complectans Timaeum Locrensem *de Mundi Fabrica* in latinum a Gregorio Tiphernate translatum continet; alter, alia scriptus manu, tredecim quondam Rinucii nostri opera, ut mox demonstrabo, continuit, hodie vero, quoniam et a principio et a tergo mutilus est, novem modo exhibet, scilicet, (1) AX, cuius decima fere pars a fronte deest, (2) Plat. *Euthyphro*, (3) *Penia Fabula*, (4) AESOP, (5) BRUT, (6) Abaris Pyth. Lysis *Epistolae*, (7) PYTH, (8) HIPPOC, (9) Diog. Hippoc. Eur. *Epistolae*, quarum quattuor ultimae desunt; tertius, qui prioribus dissimili manu scriptus est, Bartholomaei Facii *in Laurentium Vallam Invectionem* continet. Totum hunc librum adhuc integrum Collegio Baliolensi donum dedit William Gray episcopus Eliensis, qui annis 1449–1454 Romae legatus[3] Rinucium ipsum sine dubio cognoverat. In libro enim nostro a fronte scripsit manus saeculi XV: "Liber dom*us* de Balliolo. in oxon̄ ex dono Wiluū Gray Eliens*is* Ep̄i." Eadem quoque manus et quinterniones totius libri (A–Y) signavit et hunc praescripsit indiculum (quae stellula designavi, ea hodie desunt): Thymeus Lokrens*is* | *Dialog*us* platonis qui inscribit̃[4] | Acciokus platonis (= *AX*) | plato de cultu deo℞ (= *Euthyphro*) | plato (= *Penia Fabula*) | Vita ysopi cū fabul*is* (= *AESOP*) | Epistule Bruti ex greco in latinū (= *BRUT*) | Epistole Aboris ad. falarim | Epistole pittagore ad Ieronē | Epistole lysys ad hipparcū (= *Abaris Pyth. Lysis, Epist.*) | Dicta pittagore (= *PYTH*) | Epistole hippocrate ad Dimocritū (= *HIPPOC*) | Epistole Dyogenes*is* (= *Diog. Hippoc. Eur., Epist.*) | *Lucianus de vendicōe aīa℞ | *Dyalogus luciani qui īscribī charon̄. | *Dyalogus Luciani de vēdicōe aīa℞ | *Bartholomaeus* Contra

---

[1] In codicibus recensendis notiora Rinucii opera sic designabo: AESOP = Aesopi Vita et Fabulae, AX = Platonis Axiochus, BRUT = Bruti Epistolae, CHAR = Luciani Charon, DMx = Luciani Dialogus Mortuorum decimus, HIPPOC = Hippocratis Epistolae, PLUT = Plutarchi opusculum "Quid Principem Decet," PYTH = Pythagorae Aurea Verba, VEND = Luciani Vitarum Venditio.

[2] H. O. Coxe, *Cat. Cod. Mss. Coll. et Aull. Oxon.* P. I., Oxon. 1852.

[3] H. W. Carless Davis, *Balliol College*, London, 1899, p. 51.

[4] Sequitur brevis vocabuli rasura.

laurētiū Vallay. | Hunc indiculum post libros Oxonienses saeculo XVI. mutilatos[1] correxit lector aliquis. Nam et Luciani tres dialogos excisos fuisse adnotavit et illud "*Bartholomaeus*" addidit. Corrector autem nomen primi dialogi platonici utpote iam deficientis erasit. Praeterea animadvertendum est lineam per verba "Lucianus de vendicōe aīa℞" (i. e. per primum ex tribus illis titulis) a nescioqua manu ductam esse. Quare dubium est mihi utrum hic corrector duos tantummodo dialogos Luciani in codice invenerit an perperam duobus idem nomen impositum esse significare voluerit.

Si quis igitur volumen perscrutatus erit, viderit tres quinterniones PQR ab extremo altero codice esse amissos, i. e. 30 folia vel haud plus 12000 vocabula. Verum Diog. Hippoc. Eur. *Epistolarum* quod deest ex 500 fere verbis, Luciani *Vit. Vend.* ex 4300 fere verbis, *Charon* ex 3700 fere verbis constant. His additis 8500 habemus verba. Ergo veri simile est tertium quoddam Luciani dialogum adfuisse, qui vel brevissimus ille DMx. vel longior quilibet esse potuit, nam Rinucium etiam aliud quoddam e Luciano transtulisse supra coniectavimus.[2] Attamen perspicuum est huius codicis scribam nonnumquam complura folia in scribendo praetermisisse, nam post *Peniam Fabulam* quinque olim fuerunt folia vacua, quorum quattuor hodie excisa sunt.

Nunc vero quaerendum est quid a fronte alterius codicis amissum fuerit. Primus codex ex quattuordecim foliis consistit (i. e. ex quinternione A atque ex quattuor prioribus foliis quinternionis B). Alter autem codex hodie a folio C_2 incipit. Desunt igitur septem folia (i. e. B_5–C_1), quae ad alterum codicem pertinuerunt, siquidem ante *Axiochum*, ut in indiculo scriptum videmus, etiam alium Platonis dialogum fuisse credimus. Desunt fere 250 ipsius *Axiochi* vocabula, singulis autem paginis sunt fere 200 vocabula, dialogus igitur ab extremo folio C_1^r initium cepit. Prooemium autem *Axiochi* ex 450 fere vocabulis constans a medio folio B_{10}^r initium sumpsit. Restant ergo a fronte alterius codicis, si defuit *Axiochi* prooemium, 6^3 folia (= 2550 vocabula); sin adfuit, $5\frac{1}{4}$ folia (= 2100 vocabula). Ex his igitur colligo vel *Critonem*[3] (quem fortasse Rinucius locos difficiliores praetermittendo aliquanto breviorem

---

[1] H. W. Carless Davis, *ibid.*, p. 52.
[2] Vide, p. 54, § 5d.
[3] Vide quae de codice *Udinensi* scripsi, p. 60, adn. 1.

effecit) vel alium Platonis brevem brevi nomine dialogum hoc loco stetisse. Verum tamen si primus codex signaturis caruit (etenim hodie nullae apparent) et alter codex a folio A_1 initium cepit, omnino non necesse est coniectare breviorem fuisse hunc Platonis dialogum.

(**b**) Alter est *Vaticanus 305* = **V**, in catalogo typis impresso accurate descriptus.[1] Continet: ff. 1^{r}–84^{v} Rufini Hieronymi aliorumque opera, annis 1452 et 1453 transcripta; ff. 90^{r}–138^{r}, alia manu, novem Rinucii opera, quae sine dubio haud multo post transcripta sunt, scilicet, (1) PLUT, (2) Diog. Hippoc. Eur. *Epist.*, (3) Abaris Pyth. Lysis *Epist.*, (4) PYTH, (5) BRUT, (6) *Decreta Athenien.*, (7) Dem. *Or. ad Philippi Epist.*, (8) Aristot. *de Mundo*, (9) HIPPOC.

(**c**) Tertius est *Berolinensis 4°. 558* = **β**, chartaceus, saec. XV. exeuntis. Continet inter rerum humanisticarum miscellanea octo Rinucii opera, scilicet, 189^{r}–204^{r} HIPPOC (Epist. 12 cum Arg. et 1–10), 204^{r}–207^{v} Abaris Pyth. Lys. *Epist.*, 207^{v}–209^{v} PYTH, 209^{v}–213^{r} HIPPOC (Epist. 11, 13–15), 213^{r}–218^{v} PLUT, . . ., 220^{v}–230^{v} AX, 230^{v} sqq. Plat. *Crito*, . . ., 244^{v}–255^{v} CHAR, 255^{v}–265^{v} VEND.

Sunt praeterea codices xxvi, quorum unusquisque bina aut amplius Rinucii opera continet, scilicet: Ambros. M. 4. Sup. (PLUT, AX); Arundel. 277 in Mus. Brit. (DMx, VEND, CHAR, . . ., AX, PLUT); Berolin. 8°. 171 (AESOP, . . ., CHAR); Bodleian. Canon. misc. 169 (Monodiae, PYTH); Cusan. 177 (AX, DMx, PLUT); Escurial. a. IV. 12 (HIPPOC, BRUT); Florent. Magl. viii. 53 (BRUT, HIPPOC[2]); Foroiulien. in urbe s. Danielis 120 (DMx, CHAR, VEND)[3]; Harleian. 4923 in Mus. Brit. (AX, . . ., DMx); Laurentiani ⟨1⟩ Ashburn. 1721 (BRUT, HIPPOC), ⟨2⟩ 89 Sup. 16 (CHAR, VEND); Lipsien. 1260 in Bibl. Univ. (DMx, . . ., CHAR); Marciani ⟨1⟩ 1919 (DMx, BRUT),[4] ⟨2⟩ cl. vi. num. 255 (AESOP, CHAR); Monacenses ⟨1⟩ 364 (DMx, . . ., CHAR), ⟨2⟩ 12728 (CHAR, VEND), ⟨3⟩ 23861 (DMx, . . ., CHAR); Paris. 8729 in Bibl. Nat. (VEND, . . ., Hippoc. ad Damagetum, . . ., DMx, . . ., Decreta Athenien., CHAR); Stutgard. poet. et philol. 4°.37 (DMx, CHAR, VEND, . . ., CHAR,[5] . . ., AESOP); Udi-

[1] Vattasso e Franchi, *Cat. Cod. Vat. Lat.*, Vol. I.

[2] Nil praeter Prooemi rubrica ex cod. *Laurent. Ashburn.* 1721, sumpta.

[3] Apud Mazzatintium num. 121 designatur.

[4] Apud Valentinellium, *Bibl. Ms. ad S. Marci Ven.* 1871, = X. 244. Cf. etiam, p. 56, adn. 12.

[5] Rinucii Epistola sola.

nensis codex[1] (duos Platonis dialogos continens); Vaticani ⟨1⟩ 1781 (BRUT, HIPPOC), ⟨2⟩ 2876 (DMx, . . ., DMx), ⟨3⟩ 3441 (AX, PLUT), ⟨4⟩ 4155 (DMx, VEND), ⟨5⟩ 4490 (HIPPOC, . . ., PLUT), ⟨6⟩ Urbin. 1313 (HIPPOC, . . ., BRUT).[2]

Cum hos codices xxvi tum tres primarios BVβ infra in operibus recensendis stellula semper designabo, quo melius intellegatur eos plus quam unum Rinucii opus continere.

His praemissis ad singula opera edenda aggrediamur.

ABARIS PYTHAGORAS LYSIS, EPISTOLAE III

Graece apud Hercher, *Epistolog. Gr.*, Paris. 1873: Phal. *Epist.* 57, p. 422; Pythagoreor. *Epist.* 2–3, p. 601 sq. Cf. Ambrós. Traversarii *Epistolas* a P. Canneto editas, Florent. 1759, VIII. 28: "Volumen parvulum misit ad me (Rinucius) . . . Transcripsi ex eo nocte ipsa Platonis definitiones . . . Tres item Epistolas Abaris ad Stilaridem (sic), ac Pythagorae ad Hieronidem (sic), et Lisidis Pythagorici ad Hypparchum eiusdem sectae philosophum praeclaras scripsi."

Codices: ***V** 98^r–99^r; ***B** 108^r–111^r (desunt rubricae); ***β** 204^r–207^v (deest Prooem.)

(PROOEMIUM: e codd. VB edidi.) REVERENDISSIMO PATRI DOMINO .N. CARDINALI CAPUANO RYNUCIUS SE COMMENDAT. Inter haec Salvatoris nostri natalicia, dum lucubrarem essemque a ceteris curis vacuus, Reverendissime Pater, me ad recensendum fragmenta quaedam graece scripta, ne dicam codices, converti. Haec inter volvendo incidi in trium doctissimorum hominum epistolia tria, quorum primum est Abaris ad Phalarim, secundum Pythagorae ad Hieronem, ultimum Lysiae ad Hipparchum. Quae epistolia, licet brevia sed longe pretiosa esse recordatus, maiori qua-

---

[1] Mazzatintius (*Cat.* III, 237) codices Ioppianos summatim attingit, inter quos reperitur: "Traduzione lat. adesp. di due dialogi di Platone; il secondo ha questa dedica 'Imperatori Caesari Manueli Paleologo Rynutius Felicitatem,' Membr. sec. XV." Alterum dialogum Platonis *Critonem* esse colligo; prior vero quid sit nescio. Neque enim horum codicum catalogum (G. Bragato, *Cat. anal. descrit. della coll. dei mss. dei frat. Ioppi*, in *Boll. della civ. bibl. e del museo di Udine*, Vol. II) adipisci neque quicquam de his codicibus comperire potui.

[2] Cod. *Ashburnhamensem dlxxxi* (sive nunc *Laurentianum* sive *Parisiensem*) qui PYTH, PLUT, atque binos Platonis Lucianique dialogos continet, ego numquam invenire potui, cf. Voigt, *Wiederbelebung*, II, 84; Zippel, *Giunle e Correzioni*, p. 47.

dam animi iocunditate cursim perlegi, nec legisse contentus latine quoque ut legi possint eadem ipsa lucubratione curavi tuaeque Dominationi dedicavi qui licet inter arduos rerum agendarum strepitus pro statu ecclesiae quotidie verseris, tamen cum datur otium et legere et audire libenter soles illorum dicta qui ea quae plurimi mortales summis laboribus sequuntur fugientes et hanc vitam ut sic dicam foralem negotiosamque pro nihilo habentes totos se otio tradiderunt. Has igitur epistolas non ut copiosam sed ceu brevem et pretiosam supellectilem si aequo animo tua Dominatio ut cetera solet et leget et audiet, cognoscet nimirum huiusmodi homines non philosophos ut sunt temporibus nostris sed verae virtutis ac sapientiae fuisse studiosos. Et ut lucidius intellegantur, earum argumenta in primis ascripsi.

1–3 *rub. deest* B | 8 Lyšias *semper scribitur* | 13 quotidie *om.* V

ARGUMENTUM. *Abaris*[1] *in philosophia . . . haec verba respondit.*
EPISTOLA. *Abaris Phalari. Quod sis saevus . . . Abaris dicit.*
ARGUMENTUM. *Pythagoras Samius . . . epistolam respondit.*
EPISTOLA. *Pythagoras Hieroni. Tuta mihi . . . simul aegrotare.*
ARGUMENTUM. *Lysias et Hipparchus . . . ingredi non potest.*
EPISTOLA. *Lysias Hipparcho. Posteaquam . . . mortuum scito.*

AESOPUS, VITA anon. et FABULAE C

De Aesopi Vita graeca cf. Krumbacher, *Gesch. der Byzant. Lit.*, p. 897. Vitam recentiorem vel Planudeanam edidit Eberhard, *Fab. Romanenses*, Lips. 1872; antiquiorem, quae multo rarior est, edidit Westermann, *Vita Aes.*, Brunsvigae 1845. Tertiam Westermannensi propiorem transtulit Rinucius. Digna est igitur haec translatio quae in Vita graeca recensenda adhibeatur. Veri simile est Rinucium in codice suo lacunam invenisse (Westermann, *op. cit.*, p. 53, l. 20 ad p. 54, l. 9), latine enim haec scripsit: "Inquit ad illum, 'Ecquid sic gemis Aesope? Esto forti animo. Habe spes bonas, ac te ipsum consoleris.' Tum Aesopus subgemens ait, 'Mulier quaedam de recenti virum sepelierat ac singulis diebus ad sepulcrum proficiscens plorabat. Arator quidam sepulcro appropinquans . . . (lacuna) . . . Ecce Delphi etc." Atque a latere haec addidit: "Hic quia deficit ut opinor carta una, ideo fabulam incohatam et quae eam sequuntur scribere supersedi, alias scripturus si reperire quibo."[2]

---

[1] Typis italicis imprimenda curavi ea verba quae e graeco translata esse vel scio vel coniecto.

[2] Sic scriptum est in codd. *T*, *O*, *Ottobon. 2112*, **Berolin. 8°. 171*, *Marcian. xi. 105*.

Fabulas centum ex Planudeanis latine reddidit Rinucius. Eaedem vel simillimae apud Carolum Halm, Αἰσωπείων Μύθων Συναγωγή, Lips. 1854, inveniuntur, quas servato Rinucianarum ordine profero, scilicet: 5, 8, 7, 9, 45, 39, 14, 46, 28, 32, 37, 35, 22, 47b, 66, 62, 6, 98, 59, 31, 27, 24, 58, 42, 23, 76b, 88, 90b, 107, 95, 103, 111, 221, 311, 301, 144b, 179b, 113, 316b, 15, 44, 128, 100, 135, 200b, 386, 413, 157, 167, 169, 171, 189, 353, 204, 231, 208, 233, 248b, 246, 262, 260, 249, 240, 276b, 274, ?21c, 286, 296b, 303, 287b, 292, 304, 305, 308, 329, 237b, 328, 334, 343, 78, ?96b, ?16, 315, 63, ?33, ?350b, 356, ?420b, 123b, 351, 370b, ?385, 71, 392, 153, 366, 425, 424b, ?401, ?56.

"Commentarium" quoque e brevissima Aesopi vita (cf. Eberhard, *Fab. Romanen.*, Lips. 1872, p. 309 sq.) multis praetermissis convertit Rinucius.

Codices: [Non vidi (a) *Escurial. o. III. 26*, qui fortasse inter meliores ponendus est; (b) *Vat. 5129*]. Eorum quos vidi optimus est (1) *Cantabrig.*[1] *in bibl. Coll. Trinitatis, R. 1. 39* = **T.** F. 1^v scriptum est "Antonio Cerdano Card. di S. Crisogono MCCCCL." Colligo igitur hunc codicem aut ipsum archetypum esse aut ab archetypo inter duos annos transcriptum. Rinucii Epistolam primam (i. e. ad Laur. Lavinam) extremo in codice (70^r–70^v) post Anacephaleosin, alteram, quae eodem tempore ac archetypus ad Antonium cardinalem missa esse videtur, a fronte (2^r–2^v) ante Prooemium addidit manus eiusdem saeculi, posterior tamen atque inferior (= **t**). Lacunam quae in Vita reperitur adnotationemque Rinucii supra descripsi.[2]

(2) Fere eodem pretio est codex ***B**, qui 38^r–94^v totum hoc continet opus. Quare ad Rinucii Epistolas duas edendas optimus haberi debet. Desunt rubricae omnes, sed Epistolarum salutationes una cum textu transcripsit scriba. Ad lacunam in Vita scriptum est "hic deest aliquid."

(3) Bonus est codex[2] *Ottobon. 1536* = **O.** Deest Epistola prima. Scriptus est fortasse sub Nicolao V (1447–1455), nam ille qui rubricavit, fortasse quia alterius Epistolae primam solam sententiam legerat, Prooemium ad "Thomam tt. Sancte Susanne pbrm Cardinalem *hodie* .N. pp.

---

[1] M. R. James, *Cat. of Western Mss. in Trin. Coll. Libr.*, Vol. II, num. 456.

[2] Vide, p. 61, adn. 2.

V." inscripsit. Praeterea et in hoc codice et in quattuor qui sequuntur[1] adnotationes nonnullas de alphabetico graecarum fabularum ordine scriptas inveni, quas scriba aliquis graecae linguae peritus, qui Rinucii Comment. et Anaceph. nimia diligentia legisset, ad opus adiungere conatus est. Huiusmodi sunt: inter 26 et 27 "Reliquae fabulae a *β* incipientes deficiunt," inter 32 et 33 "Incipit δ" etc. Quae cum codicibus T B desint et a veritate abhorreant, nequaquam a Rinucio originem ducere manifestum est, namque fabulae nostrae si graece inscribantur vix litterarum ordinem sequantur, in vertendo igitur ordinem mutasse videtur Rinucius.

Minoris aestimandi sunt codices qui sequuntur: (4) *Ottobon. 2112* 37^{r}–76^{r}. Deest Epistola altera. In Vitae textu non indicatur lacuna nostra, sed a latere scripta est plena adnotatio.[2] (5) **Marcian. vi. 255* 1^{r}–95^{r}. Desunt et Rinucii Epistolae et rubrica Prooemii. Ad lacunam in Vita scriptum est: "Hic quia *fabula imperfecta est,* ideo scribere supersedi, alias scripturus si reperire quibo." Ab eodem codice descriptus est ac *Berolin. 8°. 171, ut mox demonstrabo.[3] (6) **Berolin. 8°. 171* 1^{r}–47^{r}, mutilus.[4] A media fere Vita hodie incipit. Praeterea folium unum inter xxx. et xxxi. amissum est, quod Fabulas fere a media xli. ad mediam xliv. continebat. Ab eodem codice descriptus est ac *Marcian. vi. 255, cf. Comment., l. 6 *somniis,* l. 8 *variarum*] *singularum,* l. 13 *vitare*] *gustare.*[5] (7) Deterior est codex *Marcian. xi. 105* 1^{r}–61^{v}, fortasse inter annos 1447–1455 scriptus, nam Prooemium ad "thomam tt. sancte Susanne presbiterum cardinalem *hodie* .N. pp. V." sicut in codice O, inscribitur.[6] (8) *Ottobon. 1490* 101^{r}–168^{v}. Continet Arg., Vitam, Fabulas. Desunt rubricae, nec certum mihi est eademne manus et Vitam et Fabulas scripserit. Ad lacunam in Vita scriptum est: "hic deficit multum." (9) *Vat. 2945* 223^{r}–249^{r}. Continet Epist. alteram, Prooem., Arg., Vitam. In Vitae textu non indicatur lacuna nostra, sed a latere scriptum est

---

[1] Sunt codd. *Ottobon. 2112,* **Marcian. vi. 255,* **Berolin. 8°. 171, Marcian. xi. 105.*

[2] Vide, adn. 1 et p. 61, adn. 2.

[3] Sequitur Luciani *Charon,* 98^{r}–114^{v}, eadem manu xiiii. Kal. Novembris 1477 scriptus. Vide etiam, adn. 1.

[4] Vide, adn. 1 et p. 61, adn. 2.

[5] Vide quae infra de duobus his codicibus in *Charonte* edendo dixi, p. 94.

[6] Vide, adn. 1 et p. 61, adn. 2.

"deficit." (10) Deterior est codex **Stutgard. in bibl. Regia, poet. et philol. 4°. 37* 138ʳ–197ʳ. Continet Prooem., Arg., Vitam. Prooemium "ad R. P. D. Thomam epm̄ et legatum Bononien̄. *postea* nicolaum papam V.tum" inscribitur. Ad lacunam in Vita nulla est adnotatio. Longum autem locum post verbum "ligatis" (194ʳ) praetermisit scriba, qui ad idem verbum in proximo exemplaris folio oculum transcurrere sivit. (11) Deterrimus est codex[1] *Foroiuliensis in urbe s. Danielis 115.* In extremo libro (etenim folia numeris carent) repeHriuntur Epist. prima, Prooem., Epist. altera, Vita. Desunt rubricae, sed manus posterior super Epistolam primam scripsit "Mapheus Vegius ex greco Latinum fecit esopum." In Vitae textu non indicatur lacuna nec ulla adscripta est adnotatio. (12) *Aretinus 181* in bibl. Frat. Laicorum. Solas Fabulas xxix. et xxxi. (134ʳ–134ᵛ) et primam (163ᵛ) continet.

A libris impressis descripti sunt codices qui sequuntur: (13) *In Mus. Brit. cod. Add. 11896* 26ʳ–100ᵛ. "Vita ęsopi et fabulę per Rynucium *thettalum* traductę. Mediolani absolutę quarto nonas Iunias pro Illustrissimo et Exmo. D. domino .Io. Ga. Duce Ml'i *etc.*, 1477." Ab *a* libro[2] igitur transcriptus est, ut e colophone apparet et ut demonstrat lectionum collatio. (14) *Vindobon. 9629,* mutilus et cariosus. Continet Vitam (7ʳ–26ʳ), Commentarii frag. (30ʳ), Fabulas (30ʳ–48ᵛ). Ab *a* libro[2] transcriptum esse etiam e litterarum formis apparet. (15) *Vat. Urb. 226* 173ʳ–217ᵛ, a G libro[3] descriptus, cf. Epist. I, l. 5 *altrum equantur,* l. 7 *animi ratione*] *ammiratione,* Epist. II, l. 7 *hortotare,* Prooem., l. 18 *quamvis,* l. 24 *vix*] *iuxta,* Comment., l. 6 *hospitilas,* Anaceph., l. 6 *Quod*] *Qui.* Tamen ille qui rubricavit ad Antonium card. Prooemium recte inscripsit.[4]

Libri impressi:[5] [Dubii sunt *H 271, 273, 279, 280, 281 a, 282, 324, 328, 744*]. (1) (a) Editio princeps, liber ab Antonio Zaroto Mediolani impressus

[1] Apud Mazzatintium num. 116 designatur.

[2] Vide infra, § 3.

[3] Vide infra, § 2 b.

[4] Vide infra, § 2.

[5] In libris recensendis maximo usui mihi fuerunt hi libri: Hain, *Reportorium* = H; Copinger, *Supplement to Hain's Rep.* = C; Reichling, *Appendices ad Hainii-Cop. Rep.* = R; Pellechet, *Cat. des Incunables* = P; Peddie, *Conspectus Incunabulorum.* Ego plerasque Rinucii editiones ipse perscrutatus sum. Verum quas non vidi, eas *typis italicis* descripsi.

anno 1474, H 274 (R v.) = P 204 = **Z**. A nescioquo codice deteriore originem traxit. Desunt Rinucii Epistolae. Huius libri editor in Vita recensenda "fabulam incohatam" ita omisit ut nemo lacunam animadverteret, scilicet: "Habe spes bonas, ac te ipsum consoleris. ¶ Ecce Delphi, etc."[1] Ab hoc exemplare impressi sunt: (**b**) H 275 (C I.) = P 206, Mediolani 1476;[2] (**c**) *C 95, Mediolani 1479 "die xxix. mensis Iunii";* (**d**) H 276, Mediolani prid. Kal. Nov. 1479 (apparent nonnulla menda);[3] (**e**) H 277 (C I.) = P 207, die quarta Septembris 1480 (emendavit editor locos nonnullos ubi lapsus est liber 1479 impressus); (**f**) *C 96 = P 208, Mediolani "die viiii novēber" 1480;* (**g**) H 278 (C II. Add.), Parmae 1482 (revertit ad menda libri 1479 editi); (**h**) *H 283 (R v.), Mediolani 3 Oct. 1491.*

(2) Nihil huic familiae commune est cum ceteris librorum familiis. (**a**) H 269 = C 93 = P 194. Continet Rinucii Epistolas.[4] Originem a nescioquo deteriore codice duxit, qui (sicut O et Marcian. xi. 105) Prooem. ad "Thomam tituli sancte Susanne presbiterum Cardinalem hodie Nicolaum papam quintum" missum fecerat.[5] Ad lacunam in Vita nulla est adnotatio. Ab hoc exemplari impressi sunt (**b**) H 270 (C I., R v.) = **G**; (**c**) H 281 (C I.), anno 1487 impressus, qui continet Comment., Fabulas, Anaceph.

Tum tria sunt librorum genera, quorum editores Rinucii opus libere emendarunt et retractarunt: (3) Editio princeps Aesopi graeci a Bono Accursio[6] edita,[7] H 265 + 272 = P 185 + 192 = **α**. In tres partis

---

[1] Vide supra, p. 61.

[2] Prooemium et Anaceph. ab hoc libro descripta edidit Ang. Mar. Quirinus in *Epist. ad Schelhornium*, pp. 787 et 789 in *App. ad Freytagi Apparatum Litterarium*, Lips. 1752–1756.

[3] Quae Copinger, Vol. I, de H276 scripsit, ea ad C 95 referenda sunt, cf. Peddie, *Conspec. Inc.*

[4] Epistolam alteram ab hoc libro (etenim in vetere catalogo Bibl. Reg. Paris. "Editio Romae, 1483" nominata est) descriptam edidit Hervieux, *Les Fabulistes Latins*, 1893–94, pp. 296–298.

[5] Huius familiae libro solo usus est Ravaglius, qui igitur putavit totum opus ad Nicolaum V. dedicatum esse, p. 39, adn. 2; pp. 68–69.

[6] Ad Bonacursium quendam Candicum dedicaverat Rinucius Luciani *Dial. Mort.* *x*. Vide supra, p. 51.

[7] "Mediolani ca. 1480" hunc librum impressum esse coniectavit Hain, sed iam anno 1477 Rinucii dumtaxat translationem (= H 272) editam esse apparet ex codice Mus. Brit. *Add. 11896*, vide supra, num. 13.

vel in tria volumina divisus est liber, scilicet: (a) sermone graeco, Maximi Planudis Vitam Aesopicam Fabulasque prosas cxliv atque Ignatii Fabulas tres, (b) sermone latino, Vitam Aesopi Fabulasque C a Rinucio conversas,[1] (c) graece et latine, lxi fabulas graecas a Bono Accursio selectas atque verbum pro verbo "rudium ac puerorum gratia" redditas.[2] Pars altera et a codice aliquo (ut mox demonstrabo) et a Z libro (cf. Prooem., l. 15 *moderetur;* Arg., l. 11 *nimium;* Comment., l. 5 *sed . . . habentur*] *om.*) originem duxit. Desunt igitur Rinucii Epistolae. Colophon huiusmodi est: "Vita Aesopi per Rynucium thettalum[3] traducta. Verum quoniam ab eo nonnulla fuerunt praetermissa, fortassis quia graecus eius codex esset minus emendatus, ego Bonus accursius Pisanus eadem in ea omnia correxi et emendavi." Itaque in Vita lacunam nostram explevit Accursius, i. e. a Rinucii fragmento initium capiens, "fabulam incohatam" absolvit, quam lacunam animadvertere non potuisset, si libro Z solo usus esset (vide supra). Mirum est autem Accursium non amplius Rinucii translationem correxisse, nam in Vita graeca edenda altera usus est codicum familia.[4]

(4) (a) Liber in Germania impressus,[5] H 325 (C I.) = H 326 = H 268 = H 289 = P 196. Continet et Vitam de Z libro sumptam (cf. lacunam nostram) et inter multas aliorum Rinucii quoque Fabulas xvii (scilicet: 2, 3, 5, 7, 10, 15, 21, 40, 43, 53, 68, 70, 74, 90, 97, 100, 18). Voces singulas emendavit editor et argumenta plerisque fabulis praescripsit.[6] (b) Eundem librum[7] latine et germanice edidit

[1] Prooemium et Anaceph. ab hoc libro descripta edidit Argelatius, *Bibl. Scriptor. Mediolanen.*, 1754, T. I., p. dxliv.

[2] Iterum Regii 1497 edita est tertia pars, H 266 (R I.) = P 186. Hae fabulae non modo a Rinucii translatione prorsus differunt, sed earum xxi inter Rinucii fabulas non reperiuntur. Perperam igitur apud Hain Reichling Pellechet inscribuntur "Fab. selectae gr. et lat. ex interpretatione Rinucii thettali."

[3] Nusquam nisi hoc loco, multis post annis quam Rinucius mortuus est, adhibetur illud nomen. Nullius igitur est momenti. Errat Ravaglius, p. 36, adn. 2; p. 39.

[4] Vide supra, p. 61.

[5] Peddie, *Conspec. Inc.*

[6] E. g. apud Steinhöwel Fab. 3 (= Rinucii Fab. 5) inc. "Homines consilio prediti prius finem prospiciunt quam dant operam rebus gerendis. De hoc audi fabulam. Vulpes et Hircus sitientes . . ." Incipit Rinucius a verbo "Vulpes . . ."

[7] Rarissimus hic liber iterum anno 1873 editus est (Hermann Oesterley, Tübingen, 1873, *Bibl. d. Litterar. Vereins in Stuttgart*, num. CXVII) ubi Vita latina, pp. 3–38 et Fabulae latinae, pp. 242–259 reperiuntur.

Henricus Steinhöwel, H 330 (R iv.). Totus hic liber numquam postea impressus est, sed pars germanica saec. XV. et XVI. saepe est edita atque gallice, belgice, anglice etc. reddita (H 331–343 et 358–363, C 117–123, R 799, P 220–223 et 231–232),[1] pars latina rarius est prolata, scilicet: (**c**) *H 327 (C I.) = P 198;* (**d**) *C 94;* (**e**) *H 329 = P 210, Antwerpiae 1486;* (**f**) *liber a Seb. Brant 1501 editus (nova argumenta versibus composita Steinhöwelianis praescripsit);* (**g**) idem liber 1521 editus.

(**5**) (**a**) Liber a Francisco Tuppio latine et italice Neapoli anno 1485 editus, H 353 (C I. et II. Add., R I.) = P 227. Post Tuppii Prooemium, quod e Rinucii Prooemio Argumento Anacephaleosi compositum est, sequitur Aesopi Vita in xxiii divisa partis, quarum quaeque (1) inscriptionem latinam, (2) narrationem latinam, (3) tabulam xylographicam, (4) narrationem italicam continet. Prima quidem in parte, mutatis Rinucii verbis, simulavit Tuppius se auctorem esse narrationis latinae, post tamen omnia ad verbum transcripsit.[2] Veri simile autem est eum de codice aliquo (vel de G libro) Rinucii verba sumpsisse, nam in Vita lacunam ita explevit: "'Habe spes bonas, ac te ipsum consoleris' Tum Esopus subgemens <dum varias fabularum rationes pro consolatione sue miserie recitaret medium suspendere sermonem coactus est. Nam> ecce delphii etc." De hoc exemplari impressi sunt: (**b**) H 354 (R iv.), Ven. 1492; (**c**) H 355 = P 229, Aquilae 1493; (**d**) R 800 = P 228, Ven. 1493; (**e**) C 125, Ven. [1500]; (**f**) Ven. 1503; (**g**) ibid. 1538; (**h**) ibid. 1553; (**i**) ibid. 1588; atque duo qui ad primae editionis textum reverterunt, (**k**) Mediolani 1502, (**l**) ibid. 1520.

Post Vitam Planudeanam[3] ab Aldo Manutio conversam et anno 1505 editam oblivione obruta est Vita Aesopica a Rinucio translata, sed huius Fabulae diu et frequenter prolatae sunt. (**6**) Rob. Stephanus Aesopi Vitam et variorum Fabulas Paris. 1527 edidit. Continet hic liber ff. 9^{r}–24^{r} Rinucii Fabulas lxix selectas, scilicet: 1–2, 4–5, 7–8, 10–12, 15–18, 20–23, 28–29, 36, 38–45, 47–48, 50, 53, 55–56, 58–63, 65–66, 68–72, 74–77, 80–82, 84–89, 92–100. (**7**) Basileae anno 1524 primum, quod sciam, impressus est liber, qui et Aesopi Vitam brevissimam

---

[1] Cf. Hervieux, *Les Fabulistes Latins*, Paris, 1893, I, pp. 389 sqq. et 403 sqq.

[2] Iterum editus est Tuppii liber a Caesare de Lollis (*L'Esopo di Fran. del Tuppo*, Firenze, 1886). Vide Praefat, p. 13.

[3] Vide, p. 61.

(incipit "Aesopus genus traxit ex Ammorio . . .") et Fabulas latinas omnium generum collectas continet, inter quas reperiuntur Rinucii Fabulae C una cum Commentario, a Z libro originem ducentes (cf. Comment., l. 5 *sed . . . habentur*] *om.*, l. 7, *blatero*, quo loco in libro α "balctero" scribitur). Ipse autem liber sic inscribitur: "Fabularum quae hoc libro continentur interpretes atque autores sunt hi: Guilelmus Goudanus, Hadrianus Barlandus, etc." Praeterea in Commentario duo sunt menda huic et huiusmodi libris propria, scilicet, l. 4 *Phrygus*, l. 12 *fingendis*. Huius libri editiones annis 1527 Argentorati, 1534 Venetiis, [1559–1573] Francof. ad Oderam in off. Ioh. Eichorni, 1587 Francof. ad Moenum, 1655 Cantab., 1662 ibid., 1691 Londini, 1759 ibid., 1808 in urbe "Belfast" impressas partim ipse vidi partim in catalogis descriptas inveni. (8) Hinc quoque originem duxit liber anno 1532 apud Seb. Gryphium Lugduni impressus. Inscribitur "Aesopi Phrygis et aliorum Fabulae, quorum nomina sequens pagella indicabit." Sequitur, p. 2: "Fabularum quae hoc in libro continentur Interpretes atque Auctores: Laurentius Valla, Gulielmus Gudanus, Hadrianus Barlandus, etc." Hic liber et translationem Aldinam Vitae Planudeanae (incipit "Rerum humanarum naturam . . .") et variorum Fabulas latinas continet, inter quas reperiuntur eaedem Rinucii Fabulae una cum Commentario. Sed Commentarium ita emendatum est ut l. 4 *Phryx*, l. 12 *fingendo* legamus. Huius libri editiones annis 1534 Paris., 1535 Lugduni, 1539 ibid., 1542 ibid., 1545 Paris., 1548 Lugduni, 1554 ibid., 1556 ibid., 1560 Antwerpiae, 1561 Paris., 1563 Venetiis, 1564 Paris., 1565 Antwerp., 1586 Venet., 1607 ibid., 1648 Tarvisii, 1652 ibid., 1674 Venet., 1711 Londini, 1734 Bassani, 1743 ibid., 1760 Venet., 1802 Matriti impressas partim ipse vidi partim in catalogis descriptas inveni.

(RINUCII EPISTOLA PRIMA: e codd. B t edidi.) MAGNIFICO DOMINO LAURENTIO LAVINA RYNUCIUS FELICITATEM. Ad duo potissimum nititur genus humanum, divitias scilicet ac sapientiam, quarum alterae cum ex alieno pendeant ac instar ludi talaris nunc unum nunc alium sequantur, illis totum inniti nihil est aliud quam iure insanum fieri; altera vero quoniam in animi ratione consistit et vere nostra possessio est quam nec vetustas labefactare nec tempestas delere nec vis hominum queat destruere, eam non quaerere aut tardi aut certe non sani ingenii est. Verum quod haec sic se habeant tu tibi satis argumento es qui ad

utramque partem iam diu versatus aliorum exemplis haud indiges, sed rectum aliis consilium praestare potes, non in alienis sed in suis dumtaxat, hoc est in sapientia, labores suos a quovis esse ponendos. Ego igitur hoc consilio fretus ad ea studia me demum contuli quibus et mihi et hominibus nostris quovis modo prodessem, et cum plura ad bene beateque vivendum spectantia e graeco in latinum traduxerim, novissime Vitam Aesopi, ut te non fugit, feci latinam ac domino cardinali tituli sancti Chrysogoni ascripsi. Eius copiam tibi in praesentia mitto, quam si trite perlegeris praeter animi delectationem, quam profecto suscipies ingentem, recte cognosces illos iure ac merito esse irridendos seu potius spernendos qui rebus terrenis colla devincti humi oculos solum habent defixos, at non de nihilo illos semper fuisse commendatos qui fortunae illecebris semper posthabitis ad verae rationis viam animum erexerunt. Vale atque meliori particulae ut intendas sicut a parvulo fecisti in diem studiosius ac ardentius te hortor.

13 hoc . . . sapientia *om.* t | 15 modo] pacto t | et cum] Atqui cum t | 20 capies t | 22 oculos humi t | 23 fuisse semper t | 24–26 atque . . . hortor *om.* t.

(RINUCII EPISTOLA ALTERA: e codd. B O t edidi.) REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO SUO PRAECIPUO DOMINO .A. TITULI SANCTI CHRYSOGONI PRESBITERO CARDINALI RYNUCIUS SE COMMENDAT. Quo tempore sanctissimus dominus noster Nicolaus pontifex quintus dum erat in minoribus ad dignitatem cardinalatus fuit promotus, Vitam Aesopi e graeco in latinum eius in nomine te hortatore suasoreque coepi transferre. Sed prius quam illam absolvissem Sanctitas eius ad summi apostolatus fastigium fuit assumpta. Deinde tu ipse saepius et frequenter me hortatus fuisti ut simul cum vita fabulas quoque traducerem. Quod libenter feci, licet non in tempore quo cupiebam, interveniente ut te non fugit valetudine mala. Accessit tarditas librarii qui non quando debuit sed quando potuit, ne dicam voluit, illam transcripsit. Postremo cum ad extremam deduxerim manum, considerans pontificalem maiestatem maiora munera decere, eam in hodiernam usque diem dubius cui ascriberem apud me tenui nec illam edidi. Nunc cum Dominatio tua ad eiusdem cardinalatus dignitatem Dei omnipotentis nutu qui virtutem verosque labores quandoque periclitari sed perire minime permittit devenerit, visum est nimium fore absurdum si hic Aesopus noster alii se dedicaret voveretque quam illi cuius hortatu in Latium venit meis vigiliis lucubrationibusque. Quare si Dominatio tua libenti animo hanc vitam acceperit id profecto efficiet quod per Artaxerxem Persarum regem dici solitum est et a sapientibus comprobatum: non minus regium esse laeto animo parva accipere quam magna et ampla aliis impendere. Praeterea si quando dabitur otium Dominatio tua semel eam

perlegerit, non dubito quin hunc Aesopum nostrum tuo hortatu factum latinum non modo ut hospitem sed ut familiarem carum habebit.

1 REVERENDO B | 4 RINUCIUS O | 12 valetudine] egritudine O | 14 illam *om.* O | 19 minime perire B | 22 tua *om.* B | 23 accipiet O | 23–26 cf. PLUT Prooem. 8–11.

(PROOEMIUM: e codd. T B O edidi.) VITA AESOPI FABULATORIS CLARISSIMI E GRAECO LATINA PER RYNUCIUM FACTA AD REVERENDISSIMUM PATREM DOMINUM ANTONIUM TITULI SANCTI CHRYSOGONI PRESBITERUM CARDINALEM ET PRIMO PROHEMIUM. Novas nimirum merces, Reverendissime pater, sed haud ignava opum pondera nuper e Graecia in Latium convexi,[1] vitam scilicet Aesopi fabulatoris clarissimi ac eius fabulas quotquot ad manus meas usque pervenerunt, quae si aequum sortientur licitatorem, non dubium est quin emptorem facile reperient. Nam ex omnibus quae hactenus ex graecarum opulentia litterarum in Romanae orationis thesaurum his temporibus sunt translata nihil aeque utile vitae mortalium nec aeque appositum prosperis adversisque rebus quam dicta gestaque Aesopi, licet humilia sint, ferme comperietur. Quippe ea rerum series inest ut adversa quidem levet et prospera moduletur. Ioci vero ac cavilli multiplex varietudo animos languentes recreat et ad laboris confert cessationem. His accedit quod ad acritatem ingenii non parum adiumenti quivis facile comperiet. Sed cum hinc inde animum verto ac mente singula conspicio qui legitimus huiusmodi studiis licitator hoc nostro tempore detur haud facile video. Quippe apud maiores nostros principes litteris auctoritatem praestare consueverunt. Hi vero saeculis nostris ita rebus alienis intendunt ut quod proprium suum est id iam diu ex animo deleverint, et si qui reperiuntur hi ita tenui fortuna et angusta siti sunt ut vix intra domesticos eluceant parietes. In hac tamen proborum caritate licitatorum tuam Dominationem dignam iudicavi cuius auctoritati hunc meum laborem committerem, qui inter ceteras domi forisque ecclesiae Romanae occupationes quicquid otii datum est id totum legendo consumis. Experiatur igitur quaeso, Dominatio tua, quid istae meae lucubrationes hominibus nostris afferant cognoscere, nam tuam expetunt auctoritatem sine qua in aures publicas prodire non ausint. Sed haec iam satis. Nunc ut res clarius legentibus pateat, loco argumenti pauca suggessi.

1–5 *rub. deest* B | 4–5 *quid habeat* O, *vide supra.* | 5–10 cf. Rin., Plat. Euthyph., Prooem. 15–16 | 16 recreat languentes B | 20–21 cf. Rin., Plat. Euthyph., Prooem. 1 et 14.

[1] Putavit Ravaglius (p. 39, adn. 2) haec verba significare Rinucium e Graecia se suaque rettulisse, sed nihil aliud sunt quam 'e graeco in latinum transtuli.'

(ARGUMENTUM: e codd. T B O edidi.) ARGUMENTUM. Vitam Aesopi fabulatoris clarissimi his longioribus noctibus simul cum fabulis feci latinam ac romano sermone ita instructam ut sine molestia legi et cum facilitate possit intellegi. In hac vita duo tempora praecipue notanda sunt. Primum tempus est quo servitutem servivit, alterum vero est quo se in libertatem vindicavit. In utroque quaedam scribuntur quae fabularum habent effigiem. Verum enim sive ficta sive sint vera, hoc enim legentium arbitrio relinquo, tantum suci ac saporis continent in se, quod haud insulsa se exhibent paulo accuratius legentibus. Quare si quis hoc opus trite diligenterque legerit huiusmodi lectio animum suum suasque aures nimirum delectabit.

1 ARGUMENTUM *om.* B | 5 sunt notanda B.

(VITA) AESOPI FABULATORIS CLARISSIMI VITA INCIPIT. *Qui per omnem vitam vitae studiosissimus fuit, is fortuna servus . . . ulti sunt eos qui mortis Aesopi auctores fuerunt.*

(COMMENTARIUM: e codd. T B O edidi.) VITAE AESOPI COMMENTARIUM SUPER FABULIS INSTAR ARGUMENTI INCIPIT. *Aesopus fabulator clarissimus natione quidem phrygius, fortuna vero servus fuit, colore niger ac facie supra modum deformis sed haec in vita eius scripta superius plena habentur. Is quia beneficus semper in hospites fuit, dea hospitalis in somnis sibi assistens largita est loquelam, nam ab initio blactero fuit, sapientiamque ac variarum fabularum inventionem. Quae porro fabulae non parum conducunt mortalium vitae. Nam animalia bruta fingit agere ea quae hominum sunt actiones, quas ita ante oculos ponit quod audientium animos incitat ad virtutem. Nec ulli sunt hominum mores quos in brutis fingendo ipse non aperiat. Has igitur fabulas si quis trite gustaverit, quam viam sequi quamque vitare debeat in privatis publicisque negotiis facile comperiet. Nam imprimis fabulam narrat, tum quid fabula significet compendiosius exponit atque ordinem alphabeti in graeco secutus, qui in latino sermone servari non potest, hinc sumit initium.*

1–3 *rub. deest* B. 6 beneficus *post* hospites O.

(FABULAE) INCIPIUNT FABULAE ET PRIMO DE AQUILA ET VULPE. *Aquila et vulpes conflata inter se amicitia in proximo habitare . . .* (fab. 100) *iunioribus, nisi penitus obrui se velint.*

(ANACEPHALEOSIS: e codd. T B O edidi.) TOTIUS OPERIS ANACEPHALEOSIS. Habes vitam pariter et fabulas Aesopi fabulatoris eximii, Reverendissime pater, per me nuper verbis latinis indusiatas, non tamen omnes, sed quotquot ad manus meas pervene-

runt. Quamquam arbitror praeter has si quae reperiuntur esse perpaucas. Quod vero longe plures Aesopus confecerit, hinc vel maxime coniectari licet, nam in describendo fabulas cum sequatur ordinem alphabeti, in his hae deficiunt litterae B Υ Φ X atque in aliis plerisque litteris perspicue apparet plenum fabularum numerum non esse. Quae sive neglegentia scriptorum sive varietate temporum sive ipsa vetustate oblitteratae sint, ad saecula nostra non pervenerunt. Quae tamen habentur, quia iocunditatem legentibus afferunt et vitae hominum utilitatem non mediocrem, tuo in nomine feci latinas, ut et animi mei affectionem erga te cognoscas et censor exsistas studiorum meorum. Quibus invigilasse non frustra putabo, si sapientissimo iudicio tuo tuaque auctoritate comprobari comperero. Sed ut ait poeta noster eximius: Et iam tempus equum fumantia solvere colla.

1–2 *rub. deest* B | 4 intusiatas T B | 8 B Υ Φ X *om.* B | 11 sunt B | 17 Verg. Georg. II. 542.

ARISTOPHANES, PLUTI frag. vel PENIA FABULA.

Solum *B codicem habemus, 31^{r}–37^{r}. Rubricae desunt.

(RINUCII EPISTOLA) Quo equidem tempore, Reverende pater, Graeciam me contuli graecarum dumtaxat cognitione litterarum percipiens in diem litteratos et optimorum studiosos morum postponi ignavis et aperte malis hominibus, nec solum postponi sed etiam pessundari, nec pessundari modo sed dari etiam in servitutem, de huiusmodi re quantum tempus et loci ratio mihi tribuit concessitque fabulam dedi, quam cum nuperrime inter volvendum codices meos repperi, admonitus id vel maxime fieri per eos qui et sancti et religiosi habiti sunt et in amplo dignitatis gradu constituti et qui magis videri quam bonos esse volunt, eam ut statim ad te transmitterem cogitavi, qui pro tua eximia humanitate horum vanitates deploras assidue et ipsorum levitates ineptiasque quadam cum magnitudine contemnis despicis floccifacis. Sed nec mirum res non duci ordine suo, nam cum virtus par non sit dignitati ipsorum, omnia confundi et disturbato ordine disponi mirum videri debet nemini. Etenim quibus neque doctissimorum hominum praecepta neque clarorum exempla virorum suppeditant, hi cum laudem et honestatem, quae duo magnopere hac in vita sunt expetenda, neque attingere neque sensu valeant gustare, illis aures praestant quotidie qui ad voluptatem solum verba faciunt eis, omnes ferme his hominibus verbisque delectantur quae suis moribus sunt consentanea diversisque turbantur. Sed sinamus eos valere perversis ac impiis moribus suis et quem instituimus eundem sequamur sermonem. Habes profecto, pater optime, fabulam ut ego arbitror tibi non molestam, cuius si verbis minus delectaberis res tamen ipsa iocunda tibi poterit videri.

3–5 cf. Rin., Dem. Or. ad Phil. Epist., Prooem. 32–34.

(PROOEMIUM AD MATTHAEUM QUENDAM). Cum huius opusculi titulum legeris, videre videor, mi Matthaee, te quam plurimum admirari et admiratione plurima moveri, sed risu longe maiori, si finem operis legendo attigeris. Ea quippe materia est ut alio titulo recte inscribi haudquaquam sane putarim, quam huiusmodi assumpsi ut mihi esset ad solamen, tibi vero ad delectationem. Nam cum animadverterem consuetudine tua faciliora semper mea studia fieri solere, in huiusmodi vero litterarum diversitate te comite socioque carere, non possum et animo non cruciari et tui desiderio non moveri. Scis enim nostrorum aequalium te mihi antiquiorem quippe fuisse neminem. Utinam, mi Matthaee, apud hos hominum barbaros mores haud carerem consuetudine tua. Equidem non dubito quin studia mea leviora essent et iocundiora futura. Verum postquam sive fortuna aliqua sive naturae ratione volente abs te distrahor, quod reliquum ex te mihi est, eo quotidie avidissime fruor. Sic enim res se habet, corpore a te separor, memoriam vero tui neque loci distantia nec vis ulla mortalium nullaque umquam a me segregabit oblivio. Itaque dies nullus praeterit quin tui memoriam etiam atque etiam animo amplectar. Cum itaque te hortatore in his graecarum studiis litterarum careo ac tuo hortatu monituque uti non licet, decrevi hac humili graecaque fabella te ad iocum movere meque ipsum quo valeo modo solari. Quam ipse legens nimirum laetaberis. Nec exspectes argumentum fabulae. Qui primi venient senes, hi eam tibi partem aperient. Verum nomina loquutorum haec videlicet sunt: Blepsidimus, Gurgulio, Chorus agricolarum, et Penia verbum ex graeco verbo expressum.

23–24 cf. Plaut. Trin. 16 sq. | 25 Gurgulio = Χρεμύλος.

(PROLOGUS). Cum Petrus physicus, vir nostri temporis doctissimus et quod perraro apud medicos solet reperiri vir summa eloquentia praeditus, profecturus esset ex negotio Rhetimum oppidum ab urbe Candia quingenta ferme miliaria distans, me sibi tum familiaritate tum mutuo graecarum litterarum studiis coniunctum placuit secum ire. Ego vero illi viro et eloquentia et sapientia ac vitae integritate ornatissimo morem sum obsequutus, quamquam huiuscemodi litterarum studiis intercapedinem dare grave fuerit atque molestum. Itaque ante tempus lucanum, cum luna caelo nitido serenoque luceret, iter arripuimus et primo campos patentes tum arduos montes ac demum colles lubricos migrantes in ipso fere meridie ad locum humili sub valle repostum pervenimus, cuius situm paucis accipe verbis. Ab austro mons Idaeus omni fere tempore nivibus onustus, cui contigui quidam praeruptissimi scopuli locum illum ab urbe Candia disterminantes in mari prorumpunt. Ab septentrione montes quoque altissimi eam vallem atque mare intermedii sunt.

Ab occidente se explicant campi non tamen multum aperti. Hac itaque humili valle unicum exstat diversorium, nulla vetustate redolens (non enim Minois fuit palatium nec Iovis magnifica tecta sed Saturni temporibus longe magis congruens), ad viatorum commodum opportune ea in solitudine locoque silvestri dumtaxat aedificatum. Exstat autem domus haec non marmore Pario non lapide Numidico non ebore non denique quapiam industria aut materia nobili perfecta, verum ligneae bicornes sine perpolitione aut ornatu aliquo limen ostii subeuntes ipsas columnas supplent. Crates viminibus contextae parietes efficiunt. Canna palustris tectum ab imbre defendit. Huius si dominos domus requiras, duo quidem tantum sunt, vir scilicet et coniunx iuvenilibus iuncti annis unaque ad tantam iam iam decrepitatem profecti ut cuiusque iudicio mors utrique potior sit quam ipsa vita. Idem iubent tremula voce idemque parent tardissimo ingressu et quod sibi felicissimum puto vivunt exiguo melius. Dum hic requiem necessario captamus, potu et pabulo equos reficimus nosque mero epulisque operam damus. Quae ex quorundam agrorum cultoribus, qui penes nos ibi convenerant, graece percepi audivique, ea latinis verbis pro dignitate cuiusque breviter tibi aperiam ac explicabo simpliciter. Hos enim inter agricolas exstant senes duo qui totius ferme sermonis seriem consumunt. Horum alteri nomen est Blepsidimus, alteri vero Gurgulio. His equidem Petrus et ego attentas praebui aures, miratus tum loquutores ipsos omni formitate deformes (nam ea forma erant ut neque homines neque beluae sed nova quaedam monstra visa sunt) tum illius materiam sermonis quae cuiusque doctissimi ac eruditissimi viri vigiliis contemplationibusque digna penitus videretur. Adverte iam, nam Blepsidimus sic circumstantibus orsus est.

4 Candida B | 14 cui] qui quum B | 15 candida B | 26–29 cf. Ovid. Met. VIII. 620–623.

(PENIA FABULA, SCAENA I.) BLEPS. O socii, mihi tum mutua benivolentia vicinitateque iuncti tum et maxime in rebus angustis, ad nostrae calamitatis solamen dicam breviter de quibus solitus sum continuo admirari. Sum ea aetate, ut videtis, ad quam <a nemine> praeter paucos pervenitur. Credo simpliciter et sincera mente confiteor Deum optimum maximumque cuncta recte et iure gubernare. Hanc ob rem mirari soleo quo quidem pacto ad improbos tantum divitiae perveniant, probi vero eo usque indigeant. Hoc a maioribus nostris saepenumero percepi, idem vidi expertusque sum ac quotidie magis experior, qui cum caste pieque per universam vitam usque ad hanc aetatem perpetuo vixerim, res domi quam umquam fuerit nunc in praesentia angustior est, et sic prorsus angusta ut ne quid faciam equidem scio, hac praesertim aetate qua quiescere et posse et debere sperabam, idque de plurimis possem referre, quos

iure videor reticere, cum vos ipsi coram assistentes quorum vita semper integra ac laudabilis fuit eodem in statu una mecum versari videmini. Parte ex alia video improbos sacrilegos sycophantas libidinosos petulantes audaces omni flagitio ac turpitudine notatos divitiarum copia et elegantia pollere. Quam ob rem quanto super hoc magis magisque cogito eo maiori admiratione afficior. GUR. Non miror, mi Blepsidime, rem illam te admirari quae summis hominibus ac eruditissimis viris admirationi fuisse saepenumero percepi. Nam cum ex negotio Candiam frequentabam semel equidem interfui ubi celebrato convivio, cum plures adessent nobiles ac nonnulli ut audivi viri litteratissimi, quaestio haec delata fuit in medium. Ibi si memini (memini equidem) dictum est divitias specie et forma hominem esse, capite manibus pedibus ceterisque membris praeter oculos compositum, oculis vero nescio quo pacto invidia bonorum fuisse orbatum. Hic ut aiunt apud grammaticos ⟨Πλοῦτος⟩ nominatur. Praeterea probe memini dictum etiam fuisse ex quo tempore Plutus oculos perdidit his modo solitum est ⟨se⟩ dedere qui ei obviam primi occurrunt, quia luminis orbitate cognoscere potuit bonorum neminem. Verum enim si lumina sibi redderentur, apud probos dumtaxat cohabitaret, improbos sane summa in calamitate desereret. Multaque praeterea cognitione et auditu dignissima ad utramque partem disputata fuere, quae ego vir rudis ingenio tardus ac insolito aspectu tantorum virorum penitus lapis gorgoneus nec sensu attingere nec ratione percipere nec mandare memoriae quivi. Habes causam, mi Blepsidime, quam ob rem boni careant divitiis, mali vero illis abundent. *BLEPS. Plutus ergo ut ais caecus est? GUR. Est. BLEPS. Aisne? GUR. Aio quidem. BLEPS. Nimirum? GUR. Prorsus. BLEPS. Quod caecus est? GUR. Dixi. BLEPS. Nunc desino mirari si ad me profectus est numquam. GUR. Hah, si dii velint oculos sibi reddere. BLEPS. Esset opus opere et medicorum cura. GUR. Quos medicos aut hic aut ubique invenies locorum? BLEPS. Minime est mirum, nam huic arti dignum non solvitur praemium, tamen id consideremus. GUR. Nullus profecto exstat praesertim tempore isto. BLEPS. Sic mihi visum est.* GUR. Hah, memini quoque intellexisse priscis temporibus deum quendam his in vallibus solitum coli qui caecis oculos restituebat ac visum quacumque ratione deperditum restaurabat. Optimum factu esset si voto et precibus id consequi possemus. *BLEPS. Dum itaque tempus et otium datur, huius rei periculum faciamus. GUR. Eo prae. BLEPS. Immo te expedias. GUR. Id ipsum facio.* Vos me sequimini. CHORUS. Lubenter venimus et sequimur te volupe.

5 a nemine *inserui* | 10–19 cf. Aristoph. Plut. 28–31 | 23 candidam B | 23 sqq. cf. Plat. Sympos. | 28–34 cf. Aristoph. Plut. 87–98 | 29 Πλοῦτος *inserui; fortasse supplendum erat Pluti epitheton* | 31 se *inserui* | 40–48 = Aristoph. Plut. 403–409 | 52–54 = Aristoph. Plut. 413–414.

(PENIA FABULA, SCAENA II.) Cum Gurgulio Blepsidimusque ac reliquorum chorus agrestium iter adornant, ecce mulier pannis pariter et annis obsita, gracilis faciem ac rugosa, colore mustellino, flammeis oculis, adunca nasum, buccis fluentibus, curva humeros, tremula gressus, quae graece Penia latine vero Paupertas dicitur, illos insequitur ac rauca voce declamat. *PEN. O fidem deum atque hominum. O facinus indignum. O scelestos homines. O derelictos ab omni humanitate. Hem me tantopere fugitis? GUR. Papae, quid hoc hominis? . . . . . . CHORUS. Nunc sapere oportet et in verbis maxime cavere, nam non parva de re agitur.*

2–3 pannis . . . obsita: cf. Ter. Eun. 236 | 3 colore mustellino: Ter. Eun. 689 | 4 buccis fluentibus: Cic. de Or. II. 66, 266 | 6 sqq. = Aristoph. Plut. 416–488.

(PENIA FABULA, SCAENA III.) Conticuere omnes intentique ora tenebant, cum sic Gurgulio. *GUR. Ego quidem arbitror hoc plane cuique patere quod probis bene esse iustum sit, improbis autem contra . . . . . . PEN. Hui. Revocabitisne me? GUR. Fortassis, sed nunc tempus abeundi.* BLEPS. Gurgulio. GUR. Hem. BLEPS. Edepol, si dives fuero, triticum a gurgulionibus non amplius mundabo. GUR. Satius est plus scire quam loqui. CHORUS. Videre videor diem adventare qua otio et requie frui denique licebit. BLEPS. Propediem. Sed quod iam coepimus, id facinus sequamur. —— Illi abierunt. Nos nostrum ad iter divertimus. Tu vale et plaude.

1–2: Verg. Aen. II. 1 | 2 sqq. *usque ad "abeundi"* = Aristoph. Plut. 489–610, *multis omissis.*

ARISTOTELES, DE MUNDO

Solum *V codicem 121^r–131^r habemus. Rinucii Epistola f. 131^r reperitur.

(RINUCII EPISTOLA) REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI DOMINO .A. TITULI SANCTI CHRYSOGONI PRESBITERO CARDINALI RINUCIUS SE COMMENDAT. Quem tuo hortatu nuper e Graecia in Latium traduxi, is tractatus verbis latinis ac romano habitu, omni fere graecitate omissa, postquam in conspectum sanctissimi domini nostri Nicolai papae quinti cui dedicatus est se contulit, tibi procidatum ac salutatum pro debito sui officii accedit, afferens secum huius totius orbis et universalis machinae quae mundus vocatur brevem et non difficilem cognitionem, nam in primis situm et ordinem ipsius mundi et eorum quae continentur in mundo trite ac diligenter aperit. Deinde disserit per quem et quomodo haec ipsa machina regatur guberneturque ea verborum elegan-

tia et acritate venusta ut lectorem mediocriter etiam eruditum ad se legendum pelliceat. Qua re tuae humanitatis erit ex quo in Latium abs te accitus venerit ita benigne ipsum suscipere ut cognoscat se non frustra paruisse mandatis. Vale.

4 latinum V | 5 obmissa V | 6 .S. d. nostri V

(PROOEMIUM) SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO NICOLAO PAPAE QUINTO RINUCIUS HUMILITER SE COMMENDAT. Exhortationibus reverendissimi patris domini .A. tituli sancti Chrysogoni presbiteri cardinalis ac verae sapientiae professoris his longioribus noctibus opusculum de Mundo sive Cosmographia ad Alexandrum e graeco transtuli in latinum. Cuius operis quis fuerit auctor apud eruditos varia est opinio, nam alii Aristotelem esse asserunt, nonnulli Theophrastum, quorum neutrum fuisse qui trite ac diligenter inspexerit facillime comperiet, licet character qui rectum et minime fallax de huiusmodi rebus exhibet iudicium ad Theophrastum magis declinet. Sed hoc videant quos in enumerandis codicibus ac eorum auctoribus labor solum agitat. Quisquis tamen ille fuerit, non nisi doctus et elegans fuit, qui tot res tam paucis tam apposite tam distincte atque laute cum summa elegantia explanavit. Sed redeat unde sermo discessit. Exhortationibus antedictis libentissime acquievi, tum rei honestate tum utilitate futura. Quod enim honestius aut utilius studium dari potest quam illa in lucem reducere quae cum summo decore ac iucunditate et sibi et suis hominibus sint profutura? Itaque licet multi et ampli viri de huiusmodi re latius scripserint, hoc tamen opus etsi compendiosum sit fore tamen arbitror et eruditis ad intellegendum ac rudibus ad huius rei notitiam introducendam non longe minus commodum. Verum enim cum cogitarem cui has meas vigilias dedicarem, nemini magis condignum iudicavi quam tuae sanctitati ascribere, qui in terris vicarius illum ipsum repraesentas huius totius machinae quae mundus et caelum appellatur creatorem opificemque. Quare ipsum opus tuae Sanctitati ascripsi non ut aliquam tibi traderem eruditionem, quippe ridiculus forem si Minervam quod aiunt litteras edocerem, cum si quis temporibus nostris eruditus ac perdoctus sit, tu ille non de nihilo haberis existimarisque, qui a puero litteris nutritus ab ineunte aetate celeberrimis studiis apud doctissimos homines educatus ac liberalibus artibus formatus, in aetate virili per omnes dignitatum gradus ad summi apostolatus usque fastigium non bonis externis non corporis <viribus> non ambitione sed sola morum sanctimonia ac bonarum artium eruditione deveneris, ad quod fastigium ubi fuisti assumptus mature ecclesiam per singula membra languentem ad statum fere suum redintegrasti, cum eius patrimonium inter satellites ac manipulares dissipatum ad aedes sacras ad urbis moenia iam multis saeculis diruta et ad deperdita bonarum artium studia restaurenda conver-

teris, cum litteras e suo domicilio, hoc est curia romana, disterminatas ac omnino prostratas ad locum proprium reduxeris, cum dignitates ac publica munera prius venalia non ambientibus nec indemeritis sed bene merentibus et non petentibus gratis contuleris, et ita ambitioni manus abstraxeris ut sub te principe non amplius locum habeat vetus illud apud graecos proverbium, omnem virtutem ac sapientiam superare testitudinem. Praeterea cum ipsam ecclesiam scismate scissam ac divisam summo consilio ac singulari prudentia iam fere unieris, cum et populi devotionem et divinum cultum sive vitio sive neglegentia praesidentium diu neglectum cura opere et vigilantia restitueris ac expulsis bellorum turbinibus pacem otium et tranquillitatem statui ecclesiae non secus ac Triptolemus mortalibus semina ita studiose largitus sis ut quisque nominis Christi et eius ecclesiae amator elevatis ad caelum manibus illud evangelicum merito dicere possit, benedictus qui venit in nomine Domini. Verum de laudibus tuis alias accumulatius. Nunc ad propositum redeat oratio. Hoc igitur opusculum tuae Sanctitati dedicavi ut solum et animi gratiam et mittentis affectionem recognoscas, cum nemini vitio detur ut deum colat quoquo modo possit, quod sciri licet apud saeculum vetus, ubi non omnes immolabant hecatombas nec culmos aureos diis sacrabant, sed qui non habebant ceu rustici lacte solum aut mola salsa litabant, quae litationes licet essent minusculae forte diis nihilominus gratae fuerunt si in dandis accipiendisque muneribus non rei species sed mittentis spectandus sit animus pariter et affectio. Sed iam ad interpretationem festinat oratio.

22 introducendum V | 24–55 cf. BRUT Prooem. 32–44 | 34 viribus *inserui* | 37 reintegrasti V | 49 sine (*bis*) V | 51 triptolomus V | 57 grati V | 59–60 cf. Rin., Plat. Crito, Prooem.6–7.

(ARISTOTELIS PROOEMIUM) PROHEMIUM SUPER TRACTATU DE MUNDO SIVE COSMOGRAPHIA AD ALEXANDRUM. *Divina quaedam ac beata res ... dignum est ac decorum.*

TRACTATUS INCIPIT. *Mundus est ex caelo et terra ac ex illis . . . et observat, is felix ac beatus indilate futurus existit.*

BRUTUS, EPISTOLAE LXX

Graece apud Hercher, *Epistolog. Gr.*, Paris. 1873, pp. 177–191, *Ep.* 1–16, 29–30, 51–58, 17–20, 31–32, 69–70, 35–50, 21–28, 59–68, 33–34, i. e. Bruti epistolae xxxv cum totidem responsis.[1]

[1] Translatio latina quae graecis epistolis apud Hercher adiungitur ex Rinucii translatione partim sumpta est.

Codices: [Non vidi **Escurial. a. IV. 12* ff. 34^{v}–61, scriptum "Neapoli 1468 x. Iulii etc." (cf. Antolin, *Cat. Cod. Lat.* vol. I. 1910); *ibid. o. III. 1* et *s. II. 11* (Haenel)] Quos vidi in quinque disposui familias: Optima familia (= *a*) ex tribus solis consistit codicibus emendatissimis ab ipso archetypo descriptis, scilicet, (1) *V 101^{r}–109^{v} (Prooemium Epistolas sequitur); (2) *B 95^{r}–107^{r}; (3) *Vat. 3573* = **N**, pulcherrimus, Nicolai V. stemmate ornatus. His tribus deest Rinucii Epistola.

Ab archetypo quoque descriptus est codex alius = *x*, qui ad Laur. de Columna una cum Rinucii Epistola[1] missus inter optimos fuisset numerandus, nisi verba *ac cultum vivendi meliorem* (Prooem. ll. 5–6) omisisset. Ab *x* codice originem traxit familia *b*, ex xix constans codicibus, quorum meliores sunt sex, scilicet: (4) *Bodleian. Canon. lat. 155* 50^{r}–62^{r} = **b.** Continet Rinucii Epistolam. Desunt pleraeque rubricae. (5) *Florent. Magl. vi. 203* 46^{v}–54^{v}. Continet Rinucii Epistolam. (6) *Laurent. 47–25* 91^{r}–116^{r}. (7) *Vat. 1043* ccxxxiii^{v}–ccxliiii^{r}, scriptus a Jacobo Hispaniensi pro R(oderico) Episc. Ovetensi (1458–68), ut apparet ex epistola quadam quae ante Prooem. (ccxxxiii^{r}) invenitur. (8) *Marcian. xiii. 86* 2^{r}–25^{r}, evanidus, scriptus "per me Lodonichum filium .d. Girardi de colonio Die xxvii. martii 1479." (9) *Marcian. xi. 77* 5^{r}–6^{v}, ubi ad Bruti Epistolas a Lampo Birago translatas adiunxit manus posterior Rinucii Prooem. et Epistolam.

Deteriores vero familiae *b* sunt novem, scilicet: (10) *Ambros. I. 34 Sup. 2* 43^{r}–54^{v}. (11) *ibid. T. 20 Sup.* 170^{r}–183^{v}. Desunt Prooem., rubricae omnes. (12) *Laurent. 76–34* 11^{r}–34^{r}, "Liber Petri de Medicis Cos. F.," stemmate ornatus. (13) *ibid.* **Ashburn. 1721* 59^{r}–77^{r}. (14) **Florent. Magl. viii. 53* 68^{r}–81^{v}. (15) *Arundel. 154 in Mus. Brit.* 25^{r}–31^{v}. Continet Rinucii Epistolam. (16) *Bodleian. Canon. Misc. 225* 45^{v}–50^{v}. Continet Rinucii Epistolam. (17) **Vat. 1781* 85^{r}–101^{v}. (18) *ibid. 5221* 24^{r}–30^{r}, post 1461 scriptus, cuius anni bullam eadem manu scriptam continet.

A libris impressis descripti sunt quattuor codices quos familiae *b* ascripsimus. A libro H 6194 (vide infra 3 b) descriptus est codex (19) **Vat. Urb. 1313* 80^{v}–93^{v}, exceptis rubricis (cf. Prooem. l. 7 *ab*, l. 17 *Pergami regem*] *pergameum*, l. 26 *gerunt*, l. 47 *multa*] *om.*). A libro H 12885 (vide infra 2 a) vel H 13255 (vide infra 2 b), ut e rubricis textuque

[1] Hodie reperitur haec Epistola in solis quinque codicibus: vide infra, num. 4, 5, 9, 15, 16.

constat, originem duxerunt tres codices, scilicet: (20) *Vat. Reg. 1402* 6r–14r; (21) *Bernensis 550* 106v–117v; (22) *in Mus. Brit. Add. 17485* 2r–4r, cui desunt et Prooem. et octo Bruti Tralliorumque Epistolae (num. 19–26), ceterae autem lxii videntur hoc ordine sese habere: 1–10, 13–14, 29–30, 11–12, 51–58, 15–18, 27–28, 31–32, 31–50, 59–70.

Ab aliquo familiae *b* codice, qui et Rinucii Epistola et rubricis carebat, originem duxerunt tres codices boni (= familia *c*), qui in Prooemio vocabula *is* (l. 35) *et* (l. 47) omittunt, et in Epist. 48 *epulescunt* (pro *opulescunt*) habent, scilicet: (23) *Berolin. 4°. 566* 83r–99r, (24) *Paris. 8607* 47r–58v, scriptus "1456. xxvii. Ian.," (25) *Marcian. x. 64* 39r–49v, scriptus Bononiae 1464.

Ab aliquo familiae *c* codice descriptus est codex deterrimus = *y*, qui non modo plura omisit (Prooem. l. 30 *in*, totam Epistolam undecimam, Epist. 48 *epulescunt*) sed etiam in Prooemio nova exhibuit menda (l. 6 *ceu*] *certe*, ll. 17–18 *Opinianus cilox*, l. 21 *commendatissimum*, l. 37 *et ex*] *ac ex*, l. 42 *maximum*). Initio operis inserta est haec rubrica: EPISTOLARUM BRUTI PER DOMINUM RANUTIUM E GRAECO IN LATINUM TRADUCTARUM AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM PROHEMIUM INCIPIT FELICITER. Animadvertendum est pontificis nomen omissum esse. Ceterae rubricae aut nullae aut brevissimae erant.

Ab *y* codice originem traxerunt familiae *d* et *e*. Familia *d* (cf. Prooem. l. 5 *seu vitae*] *servitute*) ex quattuor constat codicibus pessimis: (26) *Vat. 1782* 93r–119r. (27) *ibid. Palat. 1796* 46v–59r, ab E. G. anno 1463 scriptus. Desunt rubricae. (28) *Paris. 8608* 57v–72v. (29) *Catanen. Ventimil. 25* 36r–49v, imperfectus. Prooem. ad "Nicolaum papam quintum" inscribitur.

Ab eodem codice *y* originem duxit familia *e*, quae e septem constat codicibus, in quos de familia *a* inserta sunt illa verba "ac cultum vivendi meliorem" (Prooem. ll. 5–6). (30) *Roman. Valicell. C. 71* 66r–84v. Prooemium "ad Eugenium Sanctissimum dñm nostrum" inscribitur. Epistola undecima, quae ceteris codicibus familiarum *d e* deest, post duodecimam inserta est. (31) *Vindobon. 3202* 117v–128r. Prooemium "ad Eugenium sumum (sic) dominum nostrum" inscribitur. (32) *Monacen. 5386* 209r–217v. Prooemium "ad Eugem summum d. n." inscribitur. (33) *ibid. 487* 6r–19r, scriptus ab Hartmanno Schedelio "anno 1469. die undecima septembris In augusta." Prooemium "ad

Eugenium papam Sanctissimum dominum nostrum" inscribitur. (34) *ibid. 26616* 55^v–72^r. Prooemium "ad sanctissimum dominum nostrum Nicolaum papam Quintum" inscribitur. (35) *Vat. 5118* 1^r–17^r. Desunt rubricae. (36) *Vat. Barb. 75* 35^r–47^r. Desunt rubricae.

(37) Restat *Vat. 6870*, saec. XVII., qui ff. 51^r–52^r solas Epist. I–X. continet.

Libri impressi: (1) Libellus mendosissimus, H 4025 (R I.) = P. 3046. Continet nihil praeter Epistolas 1–10, 12–70. Desunt autem rubricae et epistolarum salutationes fere omnes. A nescioquo codice familiae *d* vel *e* originem duxit, quamquam in Epist. 48 haud deest vocabulum "opulescunt" (vide supra). (2) (a) Epistolae Phalaridis Bruti Cratis, H 12885 (C I.) = P 3045 (fragmentum e foliis 58^r–74^v constans). Deest Rinucii Epistola. Huiusmodi exhibet rubricas duplices: "Raimitii in catalogum Mitridatis de epistolis .M. bruti ad Nicolaum quintum pontificem maximum praefatio foeliciter incipit; | (S)Anctissimo domino nostro Nicolao papae quinto raimitius cum devotione reverentiae votum," et alia generis eiusdem. A nescioquo codice familiae *b* originem traxit. (b) Poncii Rhetorica etc., Bruti et Cratis Epistolae etc., H 13255 (C I.). Bruti Epistolae a Rinucio conversae ff. 41^r–50^r inveniuntur, quas de praecedenti libro esse sumptas et e rubricis et e textuum collatione constat. (3) (a) Diogenis Bruti (ff. 23–36) Hippocratis Epistolae anno 1487 x. kalen. Iulias Florentiae impressae, H 6193 (C II. Add.); et (b) idem liber peraeque eodem colophone sed textu emendatiusculo impressus, H 6194 (C I). Hi libri a nescioquo codice familiae *b* originem duxerunt. Deest Rinucii Epistola. (c) *De libro mendosiore (H 6193) impressus est liber Florentiae anno 1492 x. Kalen. Iulias, H 6195 (R V.).*[1] (d) De libro meliore (H 6194) impressus est liber Florentiae anno 1505 "Die Decimonono Decembris." (e) *Avenione Idib. Octob. 1497 impressus est liber, H 10268 (C I.), qui post Luciani opuscula Epistolas Bruti et Diogenis de libro meliore (H 6194) sumptas continet.* (f) Idem liber Paris. 1505 "xxiii. mensis Decembris" iterum impressus. (g) Liber [anno 1500] impressus, H 10500 (C I. R III.), qui Maumetis Diogenis Bruti (ff. 26–34) Hippocratis Epistolas continet. Bruti Epistolas de libro H 6194 vel simillimo sumptas esse constat. Deest Rinucii Prooemium. (h) Epist. Lacon. Farrigines,

---

[1] A. Caronti, *Cat. Bibl. Univ.*, Bologna, 1889.

ed. Cognatus, Basileae 1554. Bruti Epistolae una cum Prooemio de prioribus huius familiae libris sumptae pp. 24–62 reperiuntur. (**i**) Epistolia, Dialogi breves, etc., ed. H. Stephanus 1577. Altera parte pp. 22–39 inveniuntur Bruti Epistolae, quas de Cognati editione sumpsit Stephanus. (Vide quae de Rinucii translatione P. I. p. 274 sqq. dixit.) (**k**) Liber graece et latine s. l. a. et typ. n. (saec. XVI.) impressus. Inscribitur "ΦΑΛΑΡΙΔΟΣ | ΤΥΡΑΝΝΟΥ | Ἀκραγαντίνων | ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ. | PHALARIDIS | TYRANNI | Agrigentinorum | EPISTOLAE." Post Phalaridis Epistolas continet pp. 188–237 Bruti Epistolarum textum graecum translationemque Rinucianam. Idem est ordo epistolarum ac in plerisque editionibus graecis. Deest Prooemium.

(RINUCII EPISTOLA: e cod. b edidi.) LAURENTIO DE COLUMNA RINUCIUS LONGANIMITATEM. Nonnullas M. Bruti epistolas in nomine sanctissimi domini nostri Nicolai papae quinti e graeco feci latinas, quo tempore curia ob pestem novissime recessit ab urbe, verbis quidem breves sed gravitate dicendi longe ampliores, opus profecto principum auribus dignum et eo maxime quia nihil fere dicitur in illis quod maiorem quandam prae se non ferat maiestatem. Quod tute paulo accuratius legens nimirum comprobabis. Vale.

1–2 *rub. deest* b | 2 Longaminitatem *Bodl. Can. Misc. 225 et Marcian. xi. 77* | 4 ex b | 9 Vale *om.* b.

(PROOEMIUM: e codd. V B N b edidi.) SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO NICOLAO PAPAE QUINTO RINUCIUS CUM DEVOTIONE REVERENTIAE VOTUM. Solent, beatissime pater, qui invigilant alicui operi quod ad mores hominum spectet vel rerum notionem seu vitae decorem ac cultum vivendi meliorem, illud principibus ceu diis in terris sacrare. Quem morem nimirum commendatione dignum et a religione minime alienum a Iovis saeculo initium habuisse et ad nostra usque tempora servatum reperio. Nam cum Iupiter eiecto de regno patre Saturno maiorem vitae partem in Olympo monte coleret, quicumque quippiam novi invenissent, quod vitae hominum usui fuisset, ad ipsum veniebant ac ei suas inventiones dedicabant. Hunc ipsum morem posteros deinde servasse exemplis sciri potissimum licet. Quippe Aesopus fabulator egregius fabularum opusculum quod graece conscripsit Croeso Lydorum regi sacravit. Nicander quoque Pergamenus auctor vetustissimus Theriaca et Alexipharmaca versu hexametro edita ad Attalum Pergami regem perscripsit. Oppianus Cilix poeta sui saeculi non obscurus poema suum de natura piscium versu hexametro compositum Commodo imperatori devovit. Cui Commodo Iulius quoque Polydeuces opus de rerum vocabulis

emendatissimum dedicavit, idemque alii quam plures suis temporibus fecisse traduntur, quos percensere non datur in praesentia locus. Horum igitur vestigia secutus, quaedam epistolia M. Bruti graece conscripta quo tempore ipse et Cassius mortuo Caesare bellum cum Dolabella pro Asia Syriaque provinciis, sibi per senatum decretis, gesserunt, et quae quidam Mithridates, vir sane haud rudis sed in dicendo satis peritus, hinc inde dispersa coegit ac illis pro sua exercitatione ingenii characterem Bruti imitando rescripsit, ut in epistola sua inferius scripta dilucide patet, his noctibus proxime brevioribus tuo in nomine feci latina. Quod nemini absurdum debet videri. Quippe si illis licuit inventiones suas principibus sui saeculi sacrare, cur mihi fas non sit meas lucubratiunculas illi dedicare qui in terris vicarius est eius qui verae sapientiae fons et origo ac veri laboris magister et actor extitit et existit, et maxime cum eius thronum in terris hoc nostro saeculo is teneat qui iure ac merito pontifex appellatur propterea quod pontem quibusvis ad verae virtutis fastigium adire cupientibus verbo et opere efficit amotis bellorum turbinibus et ex agro domini malis fruticibus evulsis scismate singulari prudentia sublato nec minori consilio inquinatione ecclesiae Dei ac Christianorum ludibrio abolitis, litteris quoque disciplinarumque studiis iam diu exterminatis et floccifactis in sedem suam favendo pariter ac fovendo redactis, et quod maxime mirum est his omnibus summa celeritate confectis. Sed de his loco et tempore accumulatius, si vita dabitur et otium, dicetur. Nunc ne nimium vagetur oratio redeat unde discessit. Itaque, beatissime pater, huiusmodi epistolas eidem Sanctitati tuae qua decet reveıentia offero. Quae licet sint breves et sine multa pompa verborum, dicendi tamen gravitati si tua Sanctitas paulo diligentius aures praestabit, nimirum et procul dubio caras habebit.

1–3 *rub. deest* B b | 3 REVERENTIAE *om.* N | 3–23 cf. Rin., Plat. Euthyph. Prooem. 1–17 | 5–6 ac . . . meliorem *om.* b | 6 sceu V seu N | 6–7 cf. Rin., Plat. Crito, Prooem. 3–4 | 11 fuissent B | 16 Alexifarmaca V B N b | 17 et 19 exametro V B N b | 18 Cylex V B N cilex b | 19 et 20 Comodo V B N b | 20 Poli deuces V B N b | 21 quam] quom b | 25 Dolobella V B N b | 26 Methrydates V B N Mitridates b | 27 collegit b | 30 latinas V B | 32–44 cf. Rin., Aristot. de Mundo, Prooem. 24–55 | 34 auctor b | 36–37 cf. Rin., Diog. Hippoc. Eur., Prooem. 16 | 38 domini *om.* N | fructicibus N b fructibus V | 40 oblitis b | 41 ac] et N.

(MITHRIDATIS PRAEFATIO) MITHRIDATES MITHRIDATI NEPOTI SALUTEM. *Bruti epistolas iterum ac saepius sum admiratus . . . cum dilucide tenentur inconsulte facilia ducuntur.*

(BRUTI EPISTOLAE) MITHRIDATIS COLLECTIO EPISTOLARUM BRUTI. *Brutus Pergamenis. Audio vos Dolabellae dedisse pecunias, quas si quidem . . .* (Epist. 70) *quod exhibere nequeunt id eos denegare necesse est.*

DECRETA ATHENIENSIUM ex DEMOSTHENIS OR. de CORONA

Graece in Or. de Cor. reperiuntur haec xxi documenta, scilicet: §§ 29, 37 sq., 39, 73 sq., 75, 77 sq., 84, 90 sq., 92, 115, 116, 118, 154, 155, 157, 164, 165, 166, 167, 181 sqq., 289.

Codices: ***V** 109^{v}–115^{r}; *Harvardiensis 25* 5^{r}–18^{r} = **H**;[2] **Paris. 8729* 63^{r}–74^{v}; *Vat. Ottobon. 1455*.

(PROOEMIUM: e codd. V H edidi.) RINUCIUS POGGIO SUO ORATORI EXIMIO FELICITATEM. Ille rem optimam et sibi salutarem facere dicendus iure videtur, suavissime mi Poggi, qui quod sit perpetuo suum ad id animum continue excutit reque illa mentem semper intendit. Ea vero nostra appellare simpliciter possumus quae non ab aliis optamus sed a nobis ipsis impetramus ut virtus ut honestas ut sapientia ac reliquae bonae artes quae ad bonam frugem nos semper perseverant, quoniam his animus innixus non periculis terretur, non cupiditatibus tangitur, non adversis flectitur, neque a tempestatibus loco movetur, sed excellens ac moderatus cum in has artes ceu in suam possessionem semel venerit, cetera omnia perinde quasi ipso minora despicit, verum quae ab aliis impetrantur, ut aurum adamas mensae argenteae lati fundi pinguia culta opes fasces atque imperia, imbecilla sunt ac eo incerta ut nemo exploratum habeat ad vesperas esse usque duratura. Quorum fulgore qui trahitur (trahuntur autem perplures) non secus ex alieno pendet quam rudis ac imperitus agricola, qui aut arborum proceritatem miratur aut ramorum altitudinem aut foliorum opacitatem, fructus vero qui vera sunt frux non advertit nec intuetur, qui si oculos hebes non esset, cognosceret profecto quod freni aurei blacteratique non meliores efficiunt equos nec domum parietes depicti nec vas aureum reddit vinum magis suave. Quippe divitiae atque opes ab animi dignitate longe superantur, quoniam sapientiae ac virtutis, quae nostra sunt, stabilis est et firma possessio, quae eripi ab homine nulla vi potest nec fortunae subiacere ictibus. Quare ista quidem nostra dicuntur, cetera vero ut opes et divitiae appellantur externa, quae nobiscum non permanent sed nos nunc sequuntur nunc vero deserunt. Ideo possessio appellatur non ut quibusdam placet, id est pedem ponere, sed post sequi vis verbi eius significat ad imitationem graecorum apud quos possessio κτῆμα dicitur, id est post nos. Nempe cum vitam praesentem ingredimur nihil horum nobiscum afferimus, sed ista post sequuntur, et cum e vita decedimus, nihil quoque eorum exportamus sed post remanent, id est humi

[2] E. K. Rand, *A Harvard Ms., etc.*, in *Amer. Journ. of Philol.*, XXVI, 291 sqq.

relinquuntur. Quod et Lucianus philosophus apud graecos eximius sentire videtur in eo dialogo, qui inscribitur Necricus, ubi Charonem introducit Mercurio iubentem ut neminem mortuorum nisi nudum rerum omnium in scaphidio admittat, sed humi cuncta relinquere illos cogat, quae si nostra essent, nec Charon nec alius portitor illa ne exportaremus prohibere posset. Prohibitio enim de alienis existit. At sua quovis locorum cuique asportare ius est, quae res dicto Biantis qui unus inter septem sapientes est nominatus aperte etiam comprobatur. Is cum patria ab hostibus diriperetur ac civium quisque de rebus suis asportaret, admonitus ut ipse faceret idem, inquit: Ego quidem facio, nam quae mea sunt mecum porto: praeclara quidem vox et viro sapiente digna, qui non putavit suum quod e fortuna penderet. Quare cum reliqua rerum nostrarum post nos alium et alium sortiantur dominum, ille merito dicitur optima facere qui ea facit quae cum semel coeperint sua esse numquam desinunt. Hanc sententiam licet exemplis ac rationibus variis esse veram comprobetur, nihil me in ea magis corroborat quam decreta quaedam quae reperio in Atheniensium senatu difficillimo rei publicae tempore fuisse constituta, qui cum sibi nec ingenium nec ratio nec mens nec consilium nec potentia deesset, statum rei publicae quin funditus rueret stabilire non potuerunt eo quod non sua sed res erat aliena. At virtus doctrina ac reliquae bonae artes, quia res suae fuere, ista manent perpetuoque manebunt dum erit in terris hominum memoria. Haec decreta quia scitu digna censui et rerum publicarum gubernaculis utilissima, ea ut hominibus quoque nostris nota forent, tuo in nomine feci latina, quae si pro tua admirabili rerum ac disciplinarum notione diligenter triteque perlegeris intelliges profecto frustra esse in alienis rebus conatus ac labores mortalium omnis. Sed de his in praesentia satis. Iam ad ipsorum decretorum interpretationem accedamus, inter quae epistolia quaedam iisdem de rebus sigillatim non de nihilo inserui.

1 RYNUCIUS H | 11 seu V | 14–15 cf. Leon. Aret., Plat. Epist., Prooem. "quorum possessio usque adeo imbecilla est et incerta ut nemo exploratum habere queat ad vesperas usque esse duraturam" | 19 advertit] advenit V | 23–25 cf. Leon. Aret., ibid. "Sapientiae vero ac virtutis stabilis est firmaque possessio, neque enim eripi ab homine nulla vi possunt neque fortunae subiacent ictibus" | 28 appellantur V | 30 κτῆμα *om.* V | 33 eorum *om.* H | 35 i. e. DMx. | 40–44 cf. Cic. Paradoxa I. 8 | 46–48 cf. Plin. Epist. I. 3, 4 | 51 diff. . . . tempore: cf. Cic. Phil. V. 13, 36; cf. Rin., Dem. Or. ad Phil. Epist., Prooem. 49 | 61 omnes V.

DECRETUM DEMOSTHENIS. *Mnesiphilo praeside, Aprilis prima intrantis, tribu Pandionide praerogativam sortita, Demosthenes Demosthenis Paeanieus dixit. Cum Philippus Macedonum rex legatos super pace componenda miserit*... (Documentum vicensimum)

Declarati sunt oratores, Demosthenes Demosthenis Paeanieus, Hyperides Cleandri Sphettius, Mnesitides Antiphani Phrearius, Demoterus Sophili Phlieus, Calleschrus Diotimi Cothocydes.

Sed haec pauca pro nostrorum notitia hominum in praesentia satis. Alia perplura quae hinc inde dispersa comperio, si vita dabitur et otium illa colligere posse, in unum item conscribam. Quod sequitur est epigramma quod civitas Atheniensis inscribi iussit in honorem et gloriam eorum qui ob rem publicam mortem pugnando obierunt. Hoc epigramma perinde quasi mercibus additamentum his itidem superaddidi.

EPIGRAMMA. *Qui ob rem publicam pugnando in acie ceciderunt compararuntque graecis bravium perpetuum mortem pro patria obeundo ne durum servitutis iugum contumeliaeque cervicibus subirent, quod plurima illorum corpora terra patria gremio receperit, id factum est nutu iudicioque Iovis. In nullo quidem falli et omnia perficere deorum est, at in vita nemini datur effugere fatum.*

DEMOSTHENES, ORATIO ad PHILIPPI EPISTOLAM

Graece apud Dindorf-Blass, Oratio XI.

Solum *V codicem habemus, 115^{r}–118^{r}.

DEMOSTHENIS ORATIO E GRAECO LATINA PER RYNUCIUM FACTA AD REVERENDISSIMUM PATREM DOMINUM .F. EPISCOPUM PORTUENSEM CARDINALEM VENETIARUM AC SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE VICECANCELLARIUM. PROHEMIUM. Sapientis cuiusdam sententia est illum et appellari et haberi posse felicem, qui si quid ingenio aut ratione valet in ea tempora incidit quibus qui rei publicae praesunt aut sapientiae student aut studiosorum sapientiae sunt amatores. Quam sententiam si quis acie non obtusa inspexerit reperiet satis pro dignitate laudari non posse, nam sapientia, cum sit vitiorum emendatrix ac virtutum commendatrix omnium, necesse est ut doctrina bene beateque vivendi ab ea ducatur, qua qui praeditus est intelligit duos ad gubernacula rei publicae esse oportere: qui scilicet bene imperet et qui modeste pareat. Verum enim vero ille recte imperare dicitur qui non animi affectus sed aut praecepta doctissimorum hominum aut exempla clarissimorum virorum in gubernando rem publicam sequitur, nihilque lege ulla in quempiam sancit quin ipse prius in se documenta non ferat, ut apud Athenienses Solon ac Lacedaemonios Lycurgus, viri legiferi ac iustitia insignes, egerunt. At qui non sua vi sed animi perturbatione imperat is cum sibi ipsi dominari nequeat seu nesciat, eo minus aliis recte

dominabitur, nam qui cadit cadentem erigere nequit, et qui se ipsum non continet ut alii se contineant recte iubere non potest. Sic alios regere non valet qui ratione et lege non regitur. Quam ob rem cum ab huiusmodi principibus res publicae gubernantur, nihil mirum si omnes bonae artes corrumpuntur, nam principis morum permulti reperiuntur imitatores, quare nihil est rei publicae perniciosius. Nam ut exstat apud Platonem plus exemplo quam principum peccatis populi corrumpuntur, cum enim aspiciunt nullum praemium virtutibus esse propositum, bene merentes humi iacere deiectos, nec vitae integritatem ac morum honestatem in pretio esse, litteratos quoque ac bonarum artium studiosos postponi indoctis et aperte malis hominibus, nec postponi solum sed per contemptum reici, nec reici modo sed affici contumeliis, ad ea studia se convertunt quae principi grata fore percipiunt, quod mirum videri debet nemini. Nam quemque delectant homines illi ac sermones qui conveniunt audientium moribus, sed diversi aures non aequas longe perturbant, quod rerum publicarum non mutandarum modo sed etiam evertendarum potissima causa est. Quas ob res ille iure ac merito laudandus esse videtur qui ait humanam felicitatem felicioribus in saeculis potissimum consistere. Quod licet exemplis plurimis et summorum auctoritatibus virorum pateat aperte, tamen ex Demosthenis summi apud graecos oratoris orationibus, et maxime quas contra Philippum Macedonum regem in senatu Atheniensi habuit, palam intelligi posset. Cuius Demosthenis vitam in commentarii formam ac eius pro Olynthiis orationes tres e graeco in latinum traduxi illasque reverendissimo patri .N. Cardinali Capuano perscripsi, quo tempore urbis Romae regimini praefuit. Nuperrime aliam traduxi quam difficillimo rei publicae tempore eodem in senatu habuit, quam quia cognitione dignam putavi et ad rei publicae regimen utilissimam tuo in nomine perscripsi, qui rei publicae ecclesiasticae gubernaculis diu versatus es ac continuo versaris. Hanc si Dominatio tua pro sua egregia huius dicendi facultatis eruditione ac ingenio singulari paulo diligentius legerit, comperiet ex parte quibus studiis quibusque artibus rerum publicarum status pereat et quibus servetur augeaturque. Nunc ad interpretationem ipsius orationis accedamus, quam ut lucidius teneas, super ea edidi argumentum quod breviter huiusmodi est.

32–34 cf. Penia Fab., Rin. Epist. 3–5 | 49 diff. . . . tempore: cf. Cic. Phil. V. 13, 36; cf. Rin., Decreta Athen., Prooem. 51.

ARGUMENTUM. *Rex Macedonum Philippus Atheniensium senatui ac plebi scripsit epistolam qua eos de iniuriis sibi illatis criminatur ac simul bellum indicit. E contra Demosthenes orator Athenienses ad bellum hortatur tamquam id sit factu necessarium.*

Praeterea suadet ut magno animo belli pericula aggredi audeant, disserens Philippum faciliter opprimi posse.

ORATIO. *Quod quidem, viri Athenienses, nobiscum pacem Philippus . . . quam reliqui graeci esse promptiores paratioresque.*

Epistolam Philippi de qua supra in oratione mentio fit, quia per .L. Aretinum accepi esse translatam consulto sivi illam apud suos valere. Censui enim satis esse quod nostris saeculis semel venerit in Latium.

DIOGENES HIPPOCRATES EURIPIDES, EPISTOLAE XXII

Graece apud Hercher, *Epistolog. Gr.*, scilicet: Diogenis Epistolae, pp. 235–258, *Ep.* 4–7, 9–14, 16, 18–20, 22, 25–27; Hippocratis Epist., p. 308, *Ep.* 22; Euripidis Epistolae, pp. 275–276, *Ep.* 1, 3, 2.

Codices: ***V** 93^v–97^v; ***B** 123^v–127^v, mutilus (vide supra).

(PROOEMIUM: e codd. V B edidi.) POGIO SUO IOCUNDISSIMO RYNUCIUS SALUTEM DICIT. Inter hos turbulentos rerum curialium motus ac temerariam papae Eugenii ab urbe fugam, cum omnia hinc inde confusa viderem et quo me verterem nescirem, demum intra parietes domesticos me continere decrevi, ubi dum rerum mearum fasciculos ad recessum si foret opus colligerem ipsosque codices componerem, in quasdam Diogenis canis epistolas incidi, quas uno ut aiunt spectu perlegi, nec contentus eas graece legisse, quin effeci ut legi quoque possent sermone latino. Eas in praesentia ad te transmitto, quem in regendis moribus censorem feci semper severissimum, ut huius canis morsibus et mordere et recensere audentius possis tam insanam ac detestabilem rerum humanarum cupiditatem quae nostris temporibus viget, immo in diem magis augescit, non dico in saecularibus sed in clericis, et maxime, quod a nostra religione est alienissimum, in ipso summo pontifice, qui cum deberet pontem efficere et in contemnendis rebus humanis esse aliis ad exemplum, ipse in his eo prorsus insaniit ut helleborum sit admodum frustra. Sed haec videant quos quidem decet. Nos vero canem hunc scribentem ex quo canes scite scribunt aequo animo audiamus.

1–2 *rub. deest* B | 8 ut uno V | 10 Eas] ea B | 16 cf. BRUT Prooem. 36–37 | 17–18 eo prorsus in his B | 18 insanit B.

DIOGENIS CANIS EPISTOLAE LATINAE PER RYNUCIUM FACTAE. *Diogenes Canis Antipatro salutem. Noli mihi succensere* . . . (Epist. 18) *ab aegritudine liber esse potest. Vale.*

(APPENDICULA: e cod. V edidi) *DIOGENES CANIS OMNIBUS QUI SE GENTILES APPELLANT GEMITUM DICIT.* Vereor, mi Poggi, ne huiusmodi salutatio in futurum nimium dici possit regioni nostrae, si oracula non fallunt auctore Nauarcho, sed hunc cothurnum in praesentia valere sinamus et ad rem nostram redeamus. Quae sequuntur sunt epistolae, Hippocratis una, Euripidis alterae, quas cum transtulissem, dum superiores transcriberem, eas veluti mercibus additamentum his superaddidi. Eas itaque pari quoque animo audiamus.

1–3 *rub.* = *salutatio* Epistolae 28 (Hercher, p. 241) | 7–8 transscriberent V.

HIPPOCRATES THESSALO. *Cognitionis cura sit tibi, fili, geometriae . . . utriusque facultatis studium quoad potes accedas. Vale.*

EURIPIDES ARCHELAO BENEAGERE. *Pecuniam iterum ad te . . .* (Epist. 3) *optimum, Cratini praeterea filios. Vale.*

HIPPOCRATES, EPISTOLA AD DAMAGETUM

Graece apud Hercher, *Epistolog. Gr.*, Hippoc. *Epistola* 17, pp. 298–305.

Codices: Optimus est **Paris. 8729* 47^r–55^v = P. Deteriores sunt *Ariminensis in bibl. Gambalunga D. IV. 208* 13^r–18^r; *Monacen. 569* 163^r–173^v, scriptus ab Hartmanno Schedelio anno 1498 (deest Prooem.); *Vindobon. 3116* 17^r–18^v, scriptus anno 1498 (deest Prooem.).

Unus est liber impressus, H 8676 (C I.), qui inscribitur "De insania Democriti | philosophi Facetū epi-|stoliū hipocratis medici|" Deest Prooem.

(PROOEMIUM: e cod. P edidi.) HIPPOCRATIS COI EPISTOLA AD DAMAGETUM LATINA PER RINUCCIUM FACTA AD EGREGIUM UTRIUSQUE IURIS INTERPRETEM .A. SANCTICRUCIUM ET PRIMO PROHEMIUM. Cycnus avis, qui et olor nominatur, cum mortem sibi adesse praesentit, tunc uti litteris proditum est solito suavius canere dicitur, cuius rei causa esse traditur a nonnullis quod cum sit avis Apollini dicata ideo canendo moriatur quia in morte quippiam boni fore praesentiat. At si quis ab oculis eripiat caliginem quae mortalium aciem hebetat, procul dubio reperiet cycnum ideo cum moritur canere ut mortem canendo efficiat leviorem, quod sapientis proprium esse constat officium, qui cum fortuna semper fortibus noverca illi adversatur statim cantu, hoc est animi aequitate, adversa ferendo ad ea studia se confert quibus se solari et aliis prodesse possit, quod per summos viros

factitatum fuisse litteris mandatum reperitur, qui cum in adversis dirius urgerentur illis studiis se tradiderunt quibus et sibi et suis profuerunt quam plurimum. Horum vestigiis innixus, cum id pusillum mihi fuit ereptum quo vitam vix tenuem ducebam, meque deiectum apud infimos viderem, ne omnino totus interirem, statui mortuos ab inferis scribendo excitare et quoad possem ad regionem viventium illos transmittere, ut per me et viventibus prosint et testimonium exhibeant me non iure sic apud infimos esse religatum. Quam ob rem his brumalibus noctibus locupletissimos testes excitavi eosque in Latium transmisi, scilicet Lucianum Platonem atque Pythagoram. Nuperrime vero Hippocratem virum inter medentes clarissimum ab imis sepulcralibus excitatum ac latino sermone ita praeditum ut a quo putas intelligi possit ad te transmitto una tamen cum epistola quam conscripsit super his quae a Democrito philosopho habuit cum ad eum curandum ceu eo tempore insaniret ab illius civibus fuit accitus, quam tanti facio ut nullis de moribus philosophorum libris posthabeam. Hanc epistolam si ea diligentia legeris qua et templa et statuae et alia ornamenta maiorum iam diu sepulta ut ad lucem reveniant uteris, non ut hospitem sed inter delicias non secus ac filiolam caram habebis. Et ut ipsam lucidius teneas super ea edidi argumentum quod cum legeris ad interpretationem epistolae facilius descendes atque cognosces Satyrum nostrum non de nihilo dixisse: perpetuo risu pulmonem agitare solebat Democritus et reliqua.

20 et 23 cf. Cic. Brut. 93, 322 | 24 latiṇum P | 36 satirum P | 37: Iuv. x. 33.

(ARGUMENTUM) *Democritus Abderites inter philosophos sui temporis clarissimus, familiae ac suorum taedio civium, omissa vita ut sic dicam negotiosa, eremum profectus, qui locus non longe ab urbe Abdira distabat, se totum otio tradidit atque super quibusvis hominum actibus ridere constituit. Quam rem cum cives sui animadverterent, putantes illum mente esse alienum, legatione et epistolis Hippocratem Coum in arte medendi eximium ad curam Democriti ceu insanientis accerserunt. Quam curam assumens Hippocrates Abdiram navigat, ubi quae acta et quae inter se et Democritum dicta sunt Damageto cui rerum suarum curam domo abiens commiserat praesenti epistola significat, sic scribens.*

INCIPIT EPISTOLA. *Hippocrates Cous Damageto salutem. Quod suspicati sumus illud nimirum . . . quae de Democrito scribere possum idque profecto libens. Vale.*

HIPPOCRATES, EPISTOLAE XV

Graece apud Hercher, *Epistolog. Gr.*, Hippoc. Epistolae, pp. 289–309, *Ep.* 1–5, 11–18, 20, 22.

Codices[1] in duas disposui familias, quarum melior (= *a*) ab eo codice originem duxisse videtur qui ad Antonium Card. missus est, nam omnes huius familiae codices, exceptis B et *β*, Rinucii Epistolam continent. Optimi sunt (1) ***V** 131^r^–137^r^ (Hippoc. Epist.), 137^r^–138^r^ (Prooem., Rin. Epist.), et (2) ***B** 114^r^–123^r^ (desunt et rubricae et Rin. Epist.). Ab his codicibus solis omissa est Hippocratis Epistola illa ad Damagetum (Hercher, *Epistola*, 17) una cum Argumento. Boni sunt (3) * **β**, qui non modo Rinucii Epistola sed etiam Prooemio caret, atque Hippocratis Epistolas hoc ordine exhibet, ff. 189^r^–204^r^, Epist. 17 cum Arg., 1–5, 11–15 (Hercher); ff. 209^v^–213^r^, Epist. 16, 18, 20, 22 (Hercher); et (4) *Harleian. 3527 in Mus. Brit.* 1^r^–15^v^. Tres codices a bono libro impresso, H 6194 (cf. Prooem. l. 9, *fabre*] *facile*) descripti sunt (vide infra, num. 2), scilicet: (5) *Florent. Magl. viii. 1294* 38^r^–64^v^; (6) *Paris. 6863* 1^r^–20^v^; (7) *Laurent. 90. Sup 36* 16^v^–32^v^, quem in codicem restitutae sunt eaedem ac codicis V rubricae.

Altera familia (= *b*) a deteriore codice (= *x*) originem traxit. Codex *x* Rinucii Epistola carebat et ad Prooemium fere huiusmodi habebat rubricam: PRAEFATIO IN QUASDAM EPISTOLAS HIPPOCRATIS MEDICINAE ARTIS PERITISSIMI E GRAECO IN LATINUM CONVERSAS PER (lacuna) AD NICOLAUM QUINTUM SUMMUM PONTIFICEM, nec non in Prooemii textu haec exhibebat menda: l. 13 *legerem*, l. 14 *posse dari* (*dare*), l. 18 *ut prius*] *om.*, l. 18 *conferant.* Huius familiae codices quattuor easdem ac *x* vel eius simillimas habent rubricas, scilicet: (8) *Laurent. Strozz. 65* 54^r^–78^r^, unde descriptus est (9) *Florent. Riccard. 1221*, 106^v^–117^r^; (10) *Laurent.*[2] *54–17* 51^r^–78^v^; (11) *Bonon. 329 in bibl. Univ.* 1^r^–15^v^. Duo codices in rubricae lacunam verba "RENUCCIUM ARETINUM" inserunt et ad Nicolaum *Papam V.* Prooemium mittunt: (12) * *Vat. 1781* 103^r^–126^v^, et (13) * *Laurent. Ashburn. 1721* 81^r^–95^r^, unde descriptae sunt illae rubricae quae in cod. *Florent. Magl. viii. 53 sine textu reperiun-

[1] Non vidi **Escurial. a. IV. 12.* Cf. supra p. 79.

[2] Ab hoc codice edidit Bandinius (*Cat. Cod. Laurent.*) Prooemii partem, usque ad verbum "corrigeremque," l. 9.

tur.[1] Duobus in codicibus Prooem. ad Nic. *quartum* mittitur: (14) * *Vat. Urb. 1313* 41^{r}–58^{r}, et (15) *Paris. 8606* 162^{r}–186^{r}. Duo codices rubricas habent huiusmodi: RENUTII ARETINI PRAEFATIO ... AD NICOLAUM QUINTUM etc., scilicet: (16) * *Vat. 4490* 1^{r}–27^{r}, et (17) *Roman. Casanaten. 1706* 1^{r}–24^{v}, scriptus 1503. Restant (18) *Paris. 18590* 65^{r}–73^{v}, qui brevissimas habet rubricas, (19) *Senensis F. II. 18* 115^{r} col. 1–122^{v} col. 2, qui nihil praeter Arg. et Epist. 17, 18, 20, 22 (Hercher) continet, (20) *Vindobon. 3192* 18^{r}, qui nihil praeter Epist. 22 continet.

Libri impressi: (1) H 6193 (C II. Add.), quem supra in Bruti Epistolis tractandis descripsi. Continet ff. 36^{v}–54^{r} Hippocratis Epistolas, una cum Rinucii Epistola et Prooemio, de nescioquo codice familiae *a* sumptas. Tamen ad Prooemium hanc familiae *b* propriorem rubricam exhibet: "Praefatio in epistolas Hippocratis medici praestantissimi e graeco in latinum per Renutium traductas ad Nicolaum V pont. max." (2) H 6194 (C I.), 37^{r}–54^{r} (vide Bruti editiones). Hinc descripti sunt tres familiae *a* codices (vide supra).[2] (3) H 6195 (R V.) (vide Bruti editiones). (4) Liber eiusdem generis anno 1505 impressus (vide Bruti editiones). (5) H 10500 (C I. R III.). Hippocratis Epistolas ff. xxxv^{r}–lxvi^{v} de libro H 6194 sumptas continet. Deest Rinucii Epistola (vide Bruti editiones). (6) Epist. Lacon. Farragines, ed. Cognatus, Basileae 1554 (vide Bruti editiones). Hic liber pp. 63–119 Rinucii Prooemium et xxi Hippocratis Epistolas continet. Cognatus enim ad xv Epistolas Rinucianas, quas de libro H 6194 sumpserat, sex novas addidit (Hercher, *Op. cit.*, 6–10, 24), quas post quintam Rinucianam (Hercher, 5) inseruit.

(RINUCII EPISTOLA: e cod. V edidi.) REVERENDISSIMO DOMINO SUO DOMINO .A. TITULI SANCTI CHRYSOGONI PRESBITERO CARDINALI ILERDENSI RYNUCIUS SE COMMENDAT. Hippocratis Coi cuius maximum exstat in arte medendi nomen quasdam epistolas non contemnendas e graeco transtuli in latinum pridie quam curia pro peste vitanda ab urbe recederet, ac sanctissimo domino nostro Nicolao papae quinto inscripsi. Earum epistolarum copiam Dominationi tuae pro debito

[1] Vide, p. 59, adn. 2.

[2] Vide quae Reichling, Vol. VI, de libro H 12897 scripsit. Bononiae enim exstat volumen qui "continua signaturarum serie" et Phalaridis (H 12897) et Hippocratis Epistolas (i.e. tertiam partem libri H 6194) continet.

meae erga te devotionis transmitto, nec minus pro egregia et singulari eruditione tua in omni genere studiorum. Quod opusculum si quis diligentius legerit, comperiet profecto ipsum Hippocratem non modo in curandis corporibus magnum fuisse sed in dicendo non longe inferiorem et supra ceteros extitisse iocundum. Quare hilari fronte hoc ipsum opusculum suscipere velis nec despicias quod sit volumine parvum: quippe pusilla reperiuntur aliquando multo pretiosiora quam magna et ampla corpora. Quod in lapidibus pretiosis videri licet, nec minus apud Statium in suo maiori poemate quod inscribitur Thebais ubi Homerum imitatus de Tydeo ait: Maior in exiguo regnabat corpore virtus. Vale.

15–19 cf. Rin., Plat. Euthyph., Prooem., 32–37 atque Leon. Aret., Prooem. in Aristot. Oecon. | 15–16 preciosora V | 18–19 Stat. Theb. I. 417.

(PROOEMIUM: e codd. B V edidi.) SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO NICOLAO PAPAE QUINTO RYNUCIUS HUMILITER SE COMMENDAT. Philippus Mediolanensis, vir inter medentes nostri temporis praestantissimus, beatissime pater, cum ipsum iure veteris inter nos amicitiae visitarem, et multa ut mos est de studiis humanitatis ultro citroque verba fierent, demum me rogavit ut quandam Hippocratis viri in arte medendi apud graecos clarissimi ad Democritum philosophum sui temporis non obscurum epistolam emendarem corrigeremque quoniam nonnulla existerent quae inter se constare non fabre videbantur. Ego vero ut illi obsequerer, quem perinde ac patrem semper colui et observavi, hunc laborem libens assumpsi. Sed cum epistolam illam graece latineque legerim, cognovi non emendatione opus esse sed explanatione, qua nullam censui dari posse meliorem quam ceteras epistolas super eadem materia ab eodem conscriptas efficere latinas. Itaque his brumalibus noctibus proxime superioribus illas e graeco transtuli in latinum, quae antequam ad alios se conferant, censui decens fore simul et congruum ut prius Sanctitati tuae se offerant eidemque procidant ceu litterarum parenti ac uti bonarum artium asilum adorent. Quare si Sanctitas tua parem audientiam illis praestabit quam ceteris quotidie praestat, † licet enim hospites peregrinaeque sint et a Coo insula loco humili profectae, latinis tamen verbis nonnulla afferunt quae doctorum hominum auribus digna fore iudicabis, et ut plenius intelligantur suo loco inserui epistolam disputationem Hippocratis ac Democriti continentem, quam superiori tempore transtuleram, et simul argumentum quod pro apertiori intelligentia super ea confeceram. Sed iam humiliter supplicant ut eadem Sanctitas tua aequis auribus eas romano sermone loquentes audire dignetur.

1–3 *rub. deest* B | 10 fabre] sultre V | 17 se ad alios V | 19 adarent B | 21 *deest aliquid, forsitan* nimirum caras habebit, cf. BRUT Prooem. 46–49, PYTH Prooem. 16–21, et passim | 22 Coe V.

HIPPOCRATIS EPISTOLAE. *Rex Regum Magnus Artaxerxes Paeto salutem. Morbus qui nomine appellatur . . .* (Epist. 15) *huiusmodi facultatis cognitionem accedere velis. Vale.*

LUCIANUS, CHARON

Codices:[1] [Non vidi *Vaticanos 989* et *2905*, *Cantiliacen. 987*, *Foxen. 67*, *Hagan. 131. G. g.*] Eorum quos vidi meliores sunt sex: (1) *β 244^v–255^v (deest Rinucii Epist.), (2) **Paris. 8729* 75^r–82^v = **P** (desunt et Rinucii Epistola et rubricae fere omnes), (3) **Laurent.*[2] *89 Sup 16* 21^r–26^r = **L** (deest Rinucii Epistola), (4) **Monacen. 12728* 217^r–224^v = **M**, scriptus annis 1458–1461 (desunt pleraeque rubricae), (5) *Florent. II. IX. 110 in bibl. Nat.* 52^r–62^r (desunt pleraeque rubricae), (6) **Foroiulien.*[3] *in urbe S. Danielis 120* 6^r–17^r.

Deteriores sunt xiv: Ab uno codice, qui Rinucii Epistolam continebat, descripti sunt (7) **Arundel. 277 in Mus. Brit.* 97^r–107^r (desunt rubricae) et (8) **Stutgard. poet. et philol. 4°. 37* 12^r–20^r. Hic codex *iterum* f. 44^v Rinucii Epistolam continet (= **S**), quae loco prooemii ante alium dialogum posita est qui incipit "LUCIANI DYALOGUS PER RINUCIUM DENUO TRANSLATUS CUIUS INTERLOCUCIONES (sic) SUNT PALINURUS ET CHARON. PALINURUS: Obsecro te, O Charon, sine me iam ut navim conscendam . . ." Hic dialogus qui "Luciani Palinurus" saepe inscribitur et Rinucio interpreti nonnumquam attribuitur[4] nihil est aliud quam Maphaei Vegii Dial. de Felicitate et Miseria, cf. Voigt-Lehnerdt II. 42.

Ab uno codice, qui Rinucii Epistola carebat et ad Prooemium hanc rubricam habebat RAINUTII CASTILIOARETINI VIRI ELOQUENTISSIMI DYALOGUS CARONTIS ET MERCURII EX LUTIANO GRAECO PHYO IN LATINUM CONVERSUS, descripti sunt (9) **Marcian. vi. 255* 98^r–114^v, scriptus per "P. G. S^v." 1477, 14 Kal. Nov., et (10) **Berolin. 8°.171* 49^r–58^v, cui deest folium unum inter 49 et 50, quo loco erant Argumenti finis et Dialogi initium.

Restant decem, qui omnes, excepto *Paris. 18529* (vide infra), Rinucii Epistola carent: (11) **Monacen. 364*, 226^r–232^v, scriptus 1463 "In

[1] Animadvertendum est perpaucos huius operis codices esse in Italia scriptos.

[2] Hinc edidit Bandinius Prooemii partem (*Cat.* III, 266 sq).

[3] In *Cat.* Mazzatintii num. 121 designatur.

[4] Cf. Ravaglium, p. 46.

nuremberga quarto kl' Septembris" ab Hartmanno Schedelio. Hinc descripti sunt duo codices: (12) **Monacen. 23861* 229^{r} col. 2–302^{v}, et (13) **Lipsien. 1260 in bibl. Univ.* 265^{r} col. 1–268^{v} col. 2. (14) *Paris. 14117* 109^{r}–115^{r}. (15) *ibid. 18529* 178^{r}–185^{r} (sequitur non modo "Luciani Palinurus"[1] verum etiam f. 201^{r} Rinucii Epistola ad Laur. de Columna a manu posteriore addita). (16) *ibid. 8800*, unde descriptus est (17) *Vat. Regin. 1409* 2^{r}–16^{r}. Ab uno codice descripti sunt (18) *Paris. "Arsenal" 397* 150^{v}–164, et (19) *Trevirensis 48* 286^{v}–291^{v}. Restat (20) *Vindobon. 3094* 132^{r}–143^{v}, scriptus anno 1493, in quem inseruit scriba longum locum a se ipso compositum (inc. 141^{v} "Sed aie nunc quaeso..."; expl. 142^{v} "...curialium impiorum usus").

Libri impressi: (1) Liber qui Charontem a Rinucio translatum primo loco (3^{r}–13^{v}) inter sex Luciani dialogos continet, H 10269. A bono codice originem duxit. Rinucii Epistola ad Laur. de Columna f. 57^{v} ante Luciani dialogum "Tyrannum" a Christophoro Persona conversum reperitur, sed inter rubricas quae omnes uno folio (2^{v}) ad illuminatoris usum collocatae sunt, scribitur: "Epistola que posita | est retro post tractatum de prestantia debet signari quod sit | prefatio quedam ante tractatum sequentem scilicet. Obsecro," i. e. ante "Palinurum" dialogum, qui tertio loco (30^{r}–52^{r}) invenitur (vide supra, codices 8 et 15). (2) (a) Liber [ca. 1485] impressus, C 3656 = H 10271 (C I.). Deest Rinucii Epistola. Ad Prooemium hanc exhibet rubricam "Luciani dialogus qui inscribitur maior Cha|ron latinus per phinicium denuo factus etc." A bono codice originem traxit, sed nimis audacter emendatus est, e.g. Prooem. l. 19 caloribus] erroribus permotus eum. (b) *Idem liber iterum impressus, C 3655.* (c) *Idem liber iterum [Daventriae ca. 1497] impressus, C 3657.* (3) Libros duos edidit Paulus Niavis: (a) H 10270 (C I.) [ca. 1492] impressum, (b) librum huic simillimum, quem miror virum cl. Reichling praetermisisse, adservatur enim in bibliotheca Vaticana ("Inc. IV. 151"). In hoc libro Prooemii rubrica incipit "Dyalogus luciani qui inscribitur Caron de greco in la|tinum per raymuncium virum insignem de novo translatus | ad etc." Amborum librorum textum vel de Monacense 364 vel de codice simillimo sumpsit Paulus Niavis. Deest Rinucii Epistola. (4) Liber "Basileae apud Andream Cratandrum et Servatium Cruftanum, mense viiibri,

[1] Vide supra, cod. 8.

anno MDXVIII" impressus, qui post duos Maphaei Vegii dialogos Luciani quoque Charontem "Rhinuccino Florentino (sic) interprete" pp. 65–78 continet. A Trevirense 48 vel codice simillimo impressus est. Deest Rinucii Epistola.

(RINUCII EPISTOLA: e codd. M S edidi.) MAGNIFICO DOMINO .L. DE COLUMNA RINUCIUS FELICITATEM. Caloribus proxime superioribus, cum curia valetudine pessima laboraret et curialium aegrotantium strages in urbe maxima esset, ut ab huiusmodi molestiis animum diverterem, me totum omnibus posthabitis ad litteras converti atque traduxi in Latium ut sic dicam e Graecia Luciani dialogum qui inscribitur Caron de vanis irridendisque circa res humanas mortalium conatibus. Quem reverendissimo patri domino Iohanni cardinali Morinensi ascripsi. Hunc dialogum in praesentia ad te transmitto, ut de meis venationibus quibus animus alitur et quibus tu a parvulo es educatus, ex quo de tuis quae ad corpus pertinent gustare nequeo, et gustes et fruaris. Qua fruitione si te delectari accepero, veluti a teneris annis delectari solebas, aliis venatiunculis non minus suavibus in diem te visitabo. Vale Rinucii tui memor et te aequo animo ad meliora tempora reserva.

3 superioribus *om.* M | 6 latinum M | 12 pertinent *om.* M | 14 venationibus M.

(PROOEMIUM: e codd. β P L M edidi.) LUCIANI DIALOGUS QUI INSCRIBITUR CARON LATINUS PER RINUTIUM DENUO FACTUS AD REVERENDISSIMUM PATREM DOMINUM IOHANNEM CARDINALEM MORINENSEM. Seraphius Urbinas vir utriusque iuris interpres nostri temporis primarius, reverendissime pater, gentilium libros de optimarum artium studiis cum datur otium frequentius legere solet. Is nuper cum Luciani philosophi apud graecos suo tempore clarissimi quendam legeret dialogum qui inscribitur Caron latinum nescio quo interprete iam diu factum me pro mutua inter nos consuetudine rogavit ut illum sui gratia emendarem corrigeremque, quoniam exstarent quam multa eo mendosa quod ad sententias explicandas ut plurimum esset opus Sibylla interprete. Ego vero illi viro in primis doctissimo mihique amicissimo morem gerere cupiens dialogum illum cepi prius graecum deinde pariter et latinum, quem ut vidi minime sum miratus si parum aut nihil latine intelligi poterat, quoniam non conversus sed maiori ex parte confusus ac perversus erat. Graece enim cum distincte atque dilucide loquatur apud nos distorte et conturbate per omnia fere procedit. Itaque his immensis caloribus denuo e Graecia in Latium traduxi verbis latinis ita instructum ut cum iocunditate legi et sine difficultate possit intelligi. Cui vero hunc ipsum ascri-

berem non de nihilo tua Dominatio mihi occurrit, quam non me fugit litteratorum virorum esse amantissimam, et qui ad bonos mores et ad humanae vitae instituta spectant eos sermones summa cum aviditate et legere et audire solere. Hunc igitur dialogum quem tuo dedicavi obsequio ut qua me soles ea cum benignitate suscipias rogo, quem quidem cum legeris nimirum et procul dubio laetaberis. Sed opus est attentione quoniam Mercurius iam loquitur cum Carone.

1–4 *rub. deest* P M | 2 RIMICIUM β | 16 latine *om.* β M | 19 inmensibus L | 20 Latium] latinum β P L M.

(ARGUMENTUM: e codd. β P L M edidi.) DIALOGI ARGUMENTUM. *Demon ille nomine Caron qui ut poetae aiunt mortuorum animas per Acheronta flumen transfert ad inferos, cupiens res hominum actusque cognoscere, exorata a Plutone unius diei venia, viventium regionem ascendit, atque in primis cum vidisset quendam ab amico vocatum ad cenam seque iturum illi pollicitum repentino imbricis ictu humi mortuum cecidisse, vehementer arrisit. Ei ridenti Mercurius Iovis iussu ex negotio missus obviat suique risus causam rogat sic inquiens.*

1–2 *rub. deest.* M | DIALOGI *om.* P | 2 ut *om.* P | 4 cognoscere] videri L | 6 illi *om.* M | 7 imbris L | 9 interrogat β.

INCIPIT DIALOGUS CUIUS INTERLOCUTORES PRIMI SUNT MERCURIUS ET CARON. *MERCURIUS. Quid rides, O Caron, et quid apud superos relicta cymba . . . verbum de Carone faciunt nullum.*

LUCIANUS, NECRICUS DIALOGUS CHARONTIS MERCURIIQUE (DIAL. MORT. X.)

Codices: [Non vidi: *Vat. 4037*, *Vat. Ottobon. 1267*, *Pistorien. 1.*] Quos vidi in duas disposui familias, quarum melior (= *a*) ex xii constat codicibus, qui ad Rinucium opus recte referentes Bonacursium proferunt cui mittatur, textum autem Prooemii pristinum et quasi puerilem retinere videntur. Optimus est (1) **Vat. 4155* 35–36^{v} = **v**. "Theodorus Buckinch Monasteriensis Raptim scripsit." Boni sunt (2) **Paris. 8729* 57^{r}–60^{v} = **P**, et (3) *Florent. Riccard. 1200* 17^{r}–18^{r} = **R**. Inferiores sunt ceteri huius familiae, scilicet: (4) **Marcian. 1919* 46^{r}–48^{r} = **m**, scriptus fortasse anno 1425; (5) *Vindobon. 3449* 91^{r}–93^{v} = **W**, a codice m descriptus; (6) *Panorm. 2 Qq. C. 79* = **π**; (7) **Cusan. 177* 53^{r}–54^{v} = **C**. Sunt autem duo codices qui et multis locis

consentiunt et fere eisdem verbis incipiunt, scilicet: "RINUTII (vel RIMICII) PROHEMIUM IN DYALOGUM LUCIANI TRADUCTUM, QUI NEGLERICUS (sic) DIALOGUS CHARONIS MERCURIIQUE INSCRIBITUR, i. e. (8) **Stutgard. poet. et philol. 4°. 37* 8^{r}–10^{v}, et (9) **Arundel. 277 in Mus. Brit.* 83^{r}–86^{r}. Restant tres codices familiae *a:* (10) *Laurent. 90 Sup 65* 143^{r}–145^{r} (Incipit Prooem.[1] INCIPIT DYALOGUS CARONTIS ET MERCURII SCRIPTUS A LUCIANO ET TRANSDUCTUS A RAYNUTIO FLORENTINO; expl. Dial. FINIT DYALOGUS LEPIDISSIMUS LUCIANI ORATORIS GRECI PER RAYNUTIUM IN LATINUM CONVERSUM); (11) *Paris. "Nouv. Acq. lat." 315* 57^{v}–60^{v} (Incipit Prooem. PROOEMIUM; incipit Dial. LUCIANI OPUSCULUM PER PREFATUM RANUTIUM DIALOGUS CARONTIS ET MERCURII); (12) *Ariminen. Gambal. C. S. 31* 135^{r}–136^{v}, a manu saec. XVI. scriptus in duobus foliis vacuis pulcherrimi codicis saec. XV. Deest Prooem.

Familia *b* ex xvi constat codicibus qui ad Aurispam opus referentes de Bonacursio Candico tacent. Huius familiae meliores sunt duo: (13) **Monacen. 23861* 297^{r} col. 1–298^{r} col. 1 = μ, qui ab eodem codice ac π descriptus esse videtur et rubricas habet huiusmodi: ante Dialogum DIALOGUS CARON NAUTA INFERORUM LOQUITUR et post Dialogum EXPLICIT DIALOGUS LUKIANI PER AURISPAM DE GRECO IN LATINUM TRANSLATUS; (14) **Vat. 2876* 119^{r}–121^{r} (desunt rubricae).

Deteriores sunt ceteri huius familiae, quippe qui in Prooemio haec habeant menda: l. 8 iocundum, l. 8 occurrisset, l. 9 in] *om.*, l. 11 apud te, l. 13 confiteberis (vel simile), l. 17 effulsit (vel simile). Rubricas codici μ similiores habent septem codices, scilicet: (15) **Monacen. 364* 223^{r}–225^{v}, scriptus ab H. Schedelio, Nurimbergae Aug. 29, 1463; (16) **Lipsien. 1260 in bibl. Univ.* 262^{v} col. 1–263^{v} col. 2; (17) **Harleian. 4923 in Mus. Brit.* 478^{r}–479^{v}; (18) *Vindobon. 4323* 42^{r}–44^{v}, quo codice manus posterior "Aurispam" e Prooemii rubrica delevit et "Rinucium" suprascripsit; (19) *Roman. Corsin. 43 E. 4* 1^{r}–5^{v}, scriptus anno 1469; (20) **Foroiulien.*[2] *in urbe S. Danielis 120* 2^{v}–6^{r}, cuius initio addidit a latere manus prima "Alia opinio quod qui-

---

[1] Hinc edidit Bandinius Prooem. (*Cat.* III, 653).

[2] In *Cat.* Mazzatintii, num. 121 designatur.

dam Rinutius traduxerit ad bonacursium candidum (sic)" et inter Prooemium Dialogumque "Necritus dialogus caronis mercuriique;" (21) *Marcian. xiv. 220* 42^{v}–45^{r} (deest Prooemium);[1] (22) *ibid. xiv. 128* 105^{v}–107^{r} (desunt Prooem. et rubricae); (23) *Cracovien. 2265 in bibl. Univ.* 450^{r}–453^{r} (deest Prooem.).

Sunt autem sex codices familiae *b* qui rubricas habent huiusmodi, DIALOGUS LUCIANI EX GRAECO LATINUS FACTUS AB AURISPA SICULO VIRO AETATIS NOSTRAE SUAVISSIMO ATQUE DOCTISSIMO, scilicet: (24) *Roman. Corsin. 583* 12^{v}–14^{r}, (25) *Ambros. I. 11 Sup. 5* 59^{r}–62^{v} (deest Prooem.), (26) *Laurent. Strozz. 104* 116^{r}–118^{v}, (27) *ibid. 90 Sup 54* 87^{v}–91^{r}, (28) *Florent. Riccard. 1166* 49^{r}–50^{r}, (29) * *Vat. 2876* 28^{r}–30^{r} (deest Prooem.)

Libri impressi: (1) Duo sunt libri qui post alia opuscula nostrum continent dialogum hac rubrica incipientem: LUTIANI PHILOSOPHI GRAECI DIALOGUS DE FUNERALI POMPA PER RINUTIUM TRADUCTUS. A bono codice originem ducunt, sed Prooemium ita emendavit editor ut aliquanto auxerit et omnino mutaverit (incipit "Saepe et multum . . ."; expl. ". . . disserentem auscultemus"). (a) H 10272 (R v.), qui inscribitur LUTIANI PHILOSOPHI LIBELLUS | de Virtute conquerente etc.; et (b) R 398 (R vi. p. 79), qui inscribitur HYSAGOGA LEONARDI ARETINI (i. e. Isagoge etc.). (2) (a) Liber xvi opuscula Luciani continens, inter quae invenitur (57^{r}–59) "Luciani Scaphidium," H 10261 (C I.), Venetiis 1494 impressus. Deest Prooemium. (b) Idem liber, Mediolani 1497, 12 Mart. impressus, H 10262 (C I.). (c) Idem liber Venetiis 1500 die "xxxi Iunii" impressus, H 10263 (C I. R v.). (d) Idem liber Venetiis 1517 "die xx. mensis septembris" impressus. (3) (a) R 1252, ed. Paulus Niavis, "Dyalogus Luciani ph̄i in quo ostenditur ne|minem nisi nudum per acheronta transvehi etc." A nescioquo codice familiae *b* originem duxit. Prooemium inscribitur "Dyalogus luciani per arispam de | greco in latinum translatus de carone infero|rorum (sic) nauta incipit feliciter." Textum mendosum audacter emendavit editor. (b) *H 10273* (*C I.*) [*Daventriae 1497*] *impressus*. (c) *H 10274 "Liptzik . . . Anno salutis nostre 1. 5.00" impressus.*

---

[1] Praecedit Luciani Charon interprete anon. (idem est ac Vat. 3171, "Quid agis, Charon? . . . afferens veniam"), rubricam vero hanc habet falsam: "Luciani opusculum per Ranutium e greco in latinum traductum."

(PROOEMIUM: e codd. v P R m W π C μ edidi.) LUCIANI OPUSCULUM LATINUM PER RYNUCIUM FACTUM ET PRIMO PROHEMIUM AD BONACURSIUM CANDICUM. Saepe et multum ea mecum cogitavi quae hac temporum clade de morte funeralique pompa contemnenda graviter atque sapienter solitus es mecum disserere, quae tum elegantia atque copia tum disserendi subtilitate litteris mandare decreveram, nisi facundissimi graecorum Luciani quoddam iocabundum nobis occurrit opusculum, quod graece dum legerem tuarum memor disceptationum tuo in nomine latinum feci, gratum tibi futurum existimans, cum apud eundem Lucianum non minus quam te ridicula monstruosaque habita sunt capita qui tanto mortis terrore afficiuntur, summa cuius auctoritate tu tuis opinionibus confirmaberis. Verum si quid tua gravitate dignum per nos eluxerit, gratia erit habenda Iohanni Simonaco protopapae, viro nostrae aetatis litteratissimo, e cuius industria opere et diligentia derivatum est quicquid graecarum litterarum ad nos effluxit. Sed haec in praesentia satis. Aliquando ipsum Lucianum audiamus sic dicentem.

1–3 *rub. deest* μ | LUCIANI . . . PROHEMIUM *om.* π | 2 RINUCIUM m W RIMICIUM C RINUCTIUM R | 3 AD . . . CANDICUM *om.* C R W Ῥυνούκϊοσ τῶ βονακουρσΐω χαίρειν (*super verba graeca scripsit manus posterior* Rinucius bonacursio salutem) m Rinutius bonacursio salutem π | BONACURSUM P | CHANDICUM P v | 4 saepe . . . cogitavi: Cic. de Inv. I. 1 | et] ac μ | mecum *om.* R | cogitanti P cogitandi μ | 4–5 de morte *om.* W | 5 ac π μ | 6 quae tum] quae cum C W μ | 7 nisi quod π | famosissimi facundissimique μ | 8 lukiani P μ tuliani C Λυχιανι W | iocundum μ | occurerit R occurrisset m² occurat W | 9 legeram W | tuorum R | q memor μ | in *om.* P π μ | 10 cum] quem μ | 11 lukianum P μ tulianum C | -que *om.* π | 12 sint π W μ | capita *om.* π | qui] *om.* μ quae C W *Cf. Ter. Adel. 261–2 "caput qui"* | cuius] quovis μ | 13 confirmaberis o. tuis m W | confirmabere π confiteberis μ | Verum] Sed m π W | gravitate tua m gravitas tua W | 14 dignum in hoc opere m W | illuxerit C eduxerit μ | Iohanni *om.* P | symonaco C P symonacho m Simmonaco W Simoniaco μ | 15 protopapa C P v prothopapa R prothopape m prothopapae W prothopapas π | e] ex W et C μ *om.* π | 15–16 opere et] pariter et π μ (*sic Guarinus*) atque m W *Cf. Rin., Aristot. de Mundo, Prooem.* 49–50: "*cura opere et vigilantia*" | 16 ad nos] hact(h)enus in me π μ | 17 efluxit P effulxit π effulxẹrit v efulsit m effulsit W C μ | haec in praesentiarum R ad p̄n̄s iam π | lukianum P μ culianum C | 17–18 Sed . . . dicentem: cf. Cic. de Opt. Gen. Or. 7,23 | 18 sic dicentem audiamus μ | *Multa sumpsit Rinucius de Guarini Prooemio in Luc. de Calumnia, scil. "Sed inter legendum quoddam Luciani elegans occurrit opusculum. . . . Illud . . . in latinum verti, ubi si quid tua gravitate dignum eluxerit, gratia erit utrique referenda. . . . e quorum industria pariter et diligentia derivatum est quidquid graecarum litterarum ad vestrates effluxit."*

NECRICUS[1] DIALOGUS CARONTIS MERCURIIQUE.

Audite quo quidem pacto nostra se negotia habeant . . . rotas scilicet et lapides ac vultures, atque vitam cuiusque examinari necesse est.

[1] Cf. Rin., Decreta Ath., Prooem. 35.

LUCIANUS, PHILOSOPHORUM ILLUSTRIUM VITARUM VENDITIO

Codices: *β 255^{v}–265^{v}; **Paris. 8729* 1^{r}–14^{r} = **P**; **Vat. 4155* 37^{v}–42^{r} = **v** ("Theodericus buckinch Monasteriensis Raptim scripsit"); **Arundel. 277 in Mus. Brit.* 86^{r}–97^{r} = **A** (Rinucii Epistolam continet); **Laurent.*[1] *89 Sup 16* 26^{r}–31^{v}; **Monacen. 12728* 224^{v}–230^{v}, imperfectus; **Stutgard. poet. et philol. 4°. 37* 20^{v}–29^{v} (Rinucii Epistolam continet); **Foroiulien.*[2] *in urbe S. Danielis 120* 17^{r}–29^{r}.

(RINUCII EPISTOLA: e cod. A edidi.) LAURENTIO COLUMNAE RINUTIUS PROSPERITATEM. Diebus superioribus una cum litteris meis tuae Dominationi transmisi duas monodias quas edidi super obitu Mermeri mei quas audio tibi in tempore fuisse redditas, licet abs te certi habeam nihil. Ex post feci latinum Luciani dialogum qui inscribitur philosophorum illustrium vitarum venditio, opus profecto luculentum et scitu dignum, quod tibi transmitto ut quibus versamur angustiis eas more maiorum legendo atque scribendo levemus, donec quem optamus temporis punctus adveniat, quem ceu cetera quae caelestium corporum motu reguntur non diffido esse venturum cum sui cursus finem contigerit. Vale et me tibi commenda.

(PROOEMIUM: e codd. β P v A edidi.) LUCIANI DIALOGUS QUI INSCRIBITUR PHILOSOPHORUM ILLUSTRIUM VITARUM VENDITIO LATINUS PER RINUCIUM FACTUS AD SERAPHIUM URBINATEM EXIMIUM UTRIUSQUE IURIS INTERPRETEM INCIPIT ET PRIMO PROHEMIUM. Luciani dialogum qui inscribitur philosophorum illustrium vitarum venditio, suavissime mi Seraphi, his proximis caloribus e graeco in latinum verti. Nam cum aegrotantium urbs haec fere diversorium esset, ceteris omnibus posthabitis intra parietes domesticos me continui, tum ut ipsarum aegritudinum si quo pacto valerem casum vitarem tum et maxime ne succumberem persecutionibus illis, quas cum putabam iam diu esse sopitas, fortuna solito dirior exulceravit longe antea acriores. Quae res cum te non fugiat, eam in praesentia valere sinamus putemusque homini in adversis constituto non parum conferre posse gaudere conscientia sua et iuxta Platonis sententiam existimare minus miserum esse illum, si miser appellari debet, qui patitur quam qui agit iniuriam. Insuper pre-

---

[1] Hinc edidit Bandinius (*Cat.* III, 267) maiorem Prooemii partem.

[2] In *Cat.* Mazzatintii, num. 121 designatur.

cemur ut quisquis harum persecutionum causa et auctor est aut fuit non lateat illum qui nihil ignorat. Verum enim hoc boni in huiusmodi persecutionibus videor esse consecutus quod hac tempestate cum ex negotio nemini proficere detur otiosus fortasse velit nolitque fortuna plerisque profeci. Quod et multis doctissimis viris contigit, qui cum fortuna eos acrius urgeret se otio tradiderunt, ubi non minus quam in negotio profuerunt hominibus suis. Sed redeat unde nostra coepit oratio. Hunc dialogum nuper latinum factum non de nihilo ad te scripsi, nam pro diutina inter nos consuetudine percepi te maiori quodam animi ardore Luciani opera in diem magis ac magis complecti, nec id abs re, nam ea verborum elegantia et gravitate sententiarum est ut nemini graecorum sit fere inferior. Verum quae alii serio scribunt, ea quia Lucianus ioco litteris mandat, multitudo quae gustu caret ac primis labiis vix degustat corticem, illum ut verbis utar eorum truphatorem appellant. At si quis acie non obtusa scripta eius diligenter inspexerit, comperiet quae prima fronte ridicula videntur ea nec elegantius nec castigatius nec exactius nec examinatius scribi potuisse, quod in hoc opere dum philosophorum sectas aperit maxime cognoscitur. Hanc rem ut lucidius quis tenere possit, in primis etiam argumentum edidi. Verum mihi vitio ne detur, si quaedam graeca verba in exponendo apposui. Nam concedi interpretibus apud maiores nostros comperio ut verbo utantur graeco si quando minus occurrat latinum. Sed de his in praesentia satis. Ad interpretationem ipsam iam accedamus.

2 QUI INSCRIBITUR *om.* A | 3 RYNUCIUM P v | 3–5 LATINUS . . . PROHEMIUM *om.* A | 8 diversorum A | 9 domesticas v | 10 cum A | 12 durior v A | 14 ea A | 15 constituto *om.* A | 16 ȩstimare P | 20 consecutum β | 22 contingit v | 25 cepit nostra A | 26 diuturna A | precepi β | 27 te in v | 31 vix] vi P | 32 truffatorem P | 37 vitio mihi A.

(ARGUMENTUM : e codd. β P v A edidi.) ARGUMENTUM. *Nundinas Atticas cum nundinatores variis cum mercibus undique adventarent advenit et Iupiter una cum Mercurio eius caduciatore afferens vendibiles philosophorum illustrium vitas, conductaque venalitiaria taberna Iupiter Mercurium sic alloquitur.*

4 efferens β | 4–5 venitiala A.

INCIPIT DIALOGUS CUIUS INTERLOQUUTORES SUNT IN PRIMIS IUPITER ET MERCURIUS PRAETER HOS VITA ET MERCATOR. *Tu quam primum dispone sedilia atque venalitium modo . . . si praesenti cum pecunia modo venerit emptor.*

PLATO, AXIOCHUS

Codices: Meliores sunt *β 220^{v}–230^{v}; **Arundel. 277 in Mus. Brit.* 116^{r}–125^{v} = **A**; *Vindobon. 2384* 103^{r}–110^{v} = **w**; **Ambros. M 4 Sup.* 104^{v}–112^{r}; **Harleian. 4923 in Mus. Brit.* 310^{r}–314^{r}; **Vat. 3441* 120^{r}–128^{v}; *ibid. Barb. 17* 1^{r}–29^{r}. Deteriores sunt **Cusan. 177* 48^{r}–53^{r}; *Vat. Urb. 1194* 113^{v}–128^{v}. Mutilus est ***B** 14^{r}–19^{v}, qui incipit a verbis ". . . tuus ille superior sermo etc." (Axiochus § 365 A, *αἱ συνεχεῖς εὐλογίαι.*)

(PROOEMIUM: e codd. *β* A w edidi.) REVERENDO IN CHRISTO PATRI DOMINO .A. DEI GRATIA EPISCOPO CAVENSI RINUCIUS FELICITATEM. Herodotus Halcarnasseus suo historiarum opere graece conscripsit fabulam super Arione quodam celeberrimo fidicine. Inquit enim: quidam nomine Ario Methymnaeus oppido insula Lesbius nobilis cantor fidibus fuit. Is posteaquam se gratum amatumque Periandro Corinthiorum regi artis gratia reddidit ab eo proficiscitur terram Siciliam atque Italiam visendi cupidine pellectus. Ubi eo venit et aures mentesque omnium in utraque terra fidibus demulsit, Corinthum redire instituit. Itaque sibi navem delegit et Corinthios nautas ei ut notiores amicioresque. Navi igitur in altum provecta, cum nautae perciperent eum grandi pecunia esse copiosum, consilium capiunt de Arione necando. Tum ille eo consilio perterritus, nautas feros atque immanes summis precibus exorat, ut priusquam mortem oppeteret permitterent se sua indumenta induere, fides capere, et sui casus canere miserabile carmen. Comptus itaque atque ornatus stans summa in puppi carmen solabile sublimi voce cantavit atque sicut stabat canebatque cum fidibus et ornatu procul in pelagus se praecipitavit, sed novum illi mirum ac pium facinus contigit. Nam delphinus quidam mox inter undas adnavit et dorso super fluctus edito natans eum incolumem corpore et ornatu in terram Laconicam devexit, ex quo loco Ario repente Corinthum petiit et talem se Periandro regi obtulit qualem delphinus eum devexerat. Ego, pater optime, iam pridem repetens pericula angustias ac labores quos hactenus quam plures terra marique perpetuo sum perpessus, animum induxeram meliorem admodum mihi fortunam aspirare et mei quandoque misereri debere. Sed cum animadverterem crebrioribus in diem ictibus a fortuna sine requie percuti et in acerbiores curas quotidie versari, hoc mihi solatium quaesivi. Nam non ad fides ut Ario ille (nihil enim mihi cum fidibus) sed ad antiqua bonarum artium studia me contuli ut experirer si quo modo fortunam saevam mihi delenire valerem. Itaque e graeco sermone in latinum verti librum Platonis qui inscribitur Axiochus. Ad quem vero potius id ascriberem quam ad te mihi

amicissimum nemo occurrit et maxime cum tantam litterarum peritiam habeas quantam <nemo> fere hoc tempore alter et singulari ac paene admirabili diligentia antiquitatis universae sis curiosissimus atque viris auctoritate summa praeditis mirabiliter affectus, eoque libentius hunc laborem mihi assumpsi quod ex tuis sermonibus quos pro tua familiaritate saepe mecum instituis percepi te praecipuo quodam amore Platonem ipsum amplecti. Quam ob rem hoc opusculum tuo in nomine latinum feci ut hoc solatio me ab angustiis undique circumventum solarer et tuae honestissimae voluntati parte ex aliqua satisfacerem. Itaque si has meas lucubratiunculas tibi viro doctissimo humanissimoque gratas intellexero atque tua gratia praesidio et benevolentia quippiam otii dabitur mihi, maiora illius divini hominis opera, quae permulta sunt atque pulcherrima, quietiori animo ausim attingere. Sed haec iam satis. Aliquando Socratem cum Axiocho de morte disserentem audiamus.

1–3 *rubrica:* PROHEMIUM PER RINUCIUM FACTUM β | 3 S(alutem) A FELICITATEM DICIT w | 3–24 cf. Aul. Gell. XVI, 19 | 5 celeberrime w | fidicina β A | 6 Mithineus β Mithynens w mithileneus A | 10 constituit β | 11 amicitioresque β | 15 permitteretur A | 18 sublima β w | 20 ac pium *om.* w | 24 eum *om.* β | 25 quam plures] complures A | 28 dies A | 33 e] et w | 34 Axiochus sive (*sequitur lacuna*) w Axiochus sine A | eum scriberem A | 36 nemo *inserui* | 38 mirifice A | 40 inscitius precepi β | 43 parte] per te β | 44–45 d. h. que] h. d. que A | 45 gracias β | 46 otio w | 48–49 Sed . . . audiamus: cf. Cic. de Opt. Gen. Or. 7,23.

DIALOGUS PLATONIS QUI INSCRIBITUR AXIOCHUS. *Cum in Kynosarges venissem abiremque Ilissum, videor vocem . . . SOC. Ego in Kynosarges redeam unde ad vos huc sum profectus.*

PLATO, CRITO

Codices: [Non vidi *Florent. Riccard.*[1] et **Udinensem.*[2]] *β 230v sqq., qui ad Prooemium hanc habet rubricam: INCIPIT DYALOGUS PLATONIS TRADUCTUS E GRECO IN LATINUM FELICITER PROHEMIUM INCIPIT. Addidit manus posterior "per Rinicium."

(PROOEMIUM) IMPERATORI CAESARI MANUELI PALAEOLOGO RYNUTIUS FELICITATEM. Apud maiores nostros, serenissime princeps, mos quidem fuit nimirum laudabilis (is quoque religione omnium longe approbatus) ut diis praesidentibus fructuum primitiae consecrarentur. Quod hinc vel maxime patere videtur, nam alii Cereri messium culmos, alii Baccho maturos palmites, alii iam et Apollini hecatombas offerre solebant. Ego vero graecarum

[1] Vide Ravaglium, p. 39, adn. 1.

[2] Vide, p. 60, adn. 1.

cognitione disciplinarum pellectus, patriam parentes ac dulcem tepidumque nidum deserens, implumis praecepsque in caelo ut vides volutavi remoto. Ex his itaque studiis quibus iam diu multis vigiliis insudavi et maxime in ea civitate quae abs te imperante iusta et recta cum moderatione regitur et gubernatur, tuae Maiestati dedicavi primitias,[1] scilicet dialogum Platonis qui inscribitur Crito, quem nuper latinum feci tuoque in nomine ascripsi. Quod opusculum latinis quoque verbis lucubratum tibi eiusdem litteraturae etiam non parum perito erit ut arbitror non iniocundum nec parum frugi hominibus quoque nostris et praecipue quia circa leges servandas a Socrate opere in isto divine graviterque disputatur. Quae res dumtaxat ad optimum rerum publicarum statum dicitur esse fundamentum. Sed haec pauca in praesentia dicta sunt satis. Nunc ad interpretationem accedamus.

1–2 *vide p. 60 adn. 1* | 2–3 cf. Rin., Plat. Euth., Prooem. 1 | 3–4 cf. BRUT Prooem. 6–7 | 6–7 cf. Rin., Aristot. de Mundo, Prooem. 59–60 | 18 gravideque *β*.

DIALOGUS QUI INSCRIBITUR CRITO. *Quid adhuc venisti, O Crito? Nondum lucescit dies. CRITO. Maxime. SOC. Quam maxime? . . . animo feramus haec, cum a deo sic perducamur.*

PLATO, EUTHYPHRO

Solus est codex ***B** 20^r–30^v (desunt rubricae).

(PROOEMIUM) Mos quidem fuit apud maiores nostros, reverendissime pater (eundem apud graecos iam inde ab antiquis usitatum fuisse comperio), ut qui litteris vigilant, suas vigilias principibus sacrarent, quae res cum exemplis plurimis maxime intelligi possit, unum seu alterum nobis satis erit exemplum. Oppianus Cilix poeta sui temporis non obscurus poema suum de natura piscium et animalium versu heroico compositum ad Commodum imperatorem perscripsit, eidemque Commodo Iulius Polydeuces opus emendatissimum de vocabulis rerum dedicavit. Zachalias libros quos de philosophia scite conscripsit regi Mithridati obtulit. Iustinus philosophus et martyr quos libros contra gentes scripsit Antonino Pio sacravit ac filiis eius. Idque per hosce viros fuisse effectum arbitror non quo praecepta aut disciplinam aliquam principibus proponerent, sed quo animi sui affectio illis innotesceret, ac ex eorum auctoritate ad quos libri scribuntur ipsis libris accederet licitatio maior, nam merx maiori in pretio tunc habetur ubi praeclari licitatoris inter-

[1] Haec vox, ab humanistis saepe usitata, non significat *primum opus*, id quod credebat Ravaglius, p. 39.

venit auctoritas. Horum igitur exempla secutus, lucubratiunculas quasdam meas nostris hominibus ut reor non inutiles tuo nomine perscripsi. Quippe cum persecutiones quae iam sopitae putabantur instar capitis Hydrae solito diriores in me nullo meo vitio exulcerarentur denuo, nec in causa aequa aequum iudicem haberem, atque ancora qua maxime nixus eram non modo mihi defuerit sed nixu proprio praecipitium dederit, duxi animo contra stimulum non calcitrare sed quo melius possim ad feliciora tempora me servare. Itaque more maiorum ad litteras rursum conversus, tamquam ad asylum ac refugium calamitatum, cum assidua lectione legendo mihi uni proficere viderem, decrevi scribendo aliis quoque prodesse, nam generosi animi est praecipuum sua studia non ad proprium sed ad commune commodum semper referre. Igitur inter cetera quae his longioribus noctibus lucubravi, Platonis dialogum de cultu deorum e Graecia traduxi in Latium, eo habitu ut non amplius appareat graecus, ac tuae Dominationi dedicavi. Qui licet sit specie parvus, re tamen longe grandior existit, nam parvi corporis quae sunt, maioris pretii interdum reperiuntur, quod in unionibus ac reliquis gemmis videri licet, et in pusillis nonnumquam hominibus plus roboris viget quam grandioribus ut de Tydeo testatur Homerus, quem Statius secutus de illo sic ait: Maior in exiguo regnabat corpore virtus. Qui dialogus ut legentibus liquidius pateat, super eo edidi argumentum, quod non huic operi solum sed aliis nonnullis operibus Platonis non minus utilis comprobabitur. Hunc ergo dialogum ad te mittere constitui, ut mei animi affectionem erga te praecipuam cognoscas et censor existas studiorum meorum, quae demum non frustra suscepisse putabo, si per doctissimam ac sapientissimam auctoritatem tuam comprobabuntur. Nunc ad interpretationem ipsam accedamus, cui argumentum non abs re praeposui.

1 cf. Rin., Plat. Crito, Prooem. 2–3 | 1–17 cf. BRUT Prooem. 3–23 | 15–16 cf. AESOP Prooem. 5–10 | 32–37 cf. HIPPOC Rin. Epist. 15–19 atque Leon. Aret., Prooem. in Aristot. Oecon. | 37 Stat. Theb. I. 417.

(ARGUMENTUM) *Socrates sui temporis philosophorum omnium princeps, cum in poetas et maxime comicos vehementius inveheretur quod iuvenes eorum fabulis ad vitia irritando corrumperent, Aristophanes poeta comicus temporibus illis eximius fabulam edidit quae inscribitur Strepsiades. In ea Socrates introducitur non putare deos quos civitas colebat, et adolescentes seducere, ut sibi magis crederent quam parentibus. Quae fabula publice cum in theatro recitaretur, plebem adversus Socratem vehementer commovit. Huiusmodi occasione captata, delator quidam nomine Meletus per poetas subornatus Socratem impietatis accusat. Socrates dicta sibi die ad praetorium proficiscens, dum iudices ad tribunal exspectat, Euthyphron cuius*

rerum divinarum in scientia maximum apud Athenienses nomen exstabat, admirans illum inter rostra morari insolitum alloquitur eum sic inquiens.

(PLATONIS EUTHYPHRO) *Quid hoc novi, o Socrates, quod relicto Lyceo gymnasio, . . . vitae est, id ut melius quoque viverem.*

PLUTARCHUS, QUID PRINCIPEM DECET

Codices: [Non vidi *Vat. 4490*] *V 90^r–93^r; *β 213^r–218^v; **Arundel. 277 in Mus. Brit.* 125^v–130^v = A; **Cusan. 177* 54^v–57^v = C; **Ambros. M 4 Sup.* 100^r–104^v; *Laurent. 89 Inf 39* 93^r–96^v; *Bodleian. Canon. Misc. 352* 32^r–35^r; **Vat. 3441* 128–134^r, scriptus 7 Kal. Nov. 1517; *Vindobon. 3107* 64^v–68^r, saec. XVI.

(PROOEMIUM: e codd. V β A C edidi.) REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI CLEMENTISSIMOQUE DOMINO DOMINO GABRIELI MISERATIONE DIVINA TITULI SANCTI CLEMENTIS PRESBITERO CARDINALI SENENSI, DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA LEGATO BONONIAE EXARCHATUS RAVENNAE ROMANDIOLAE ANCONITANAE ETC. RINUCIUS SUORUM MINIMUS ATQUE DEVOTISSIMUS FELICITATEM. Rex Persarum Artaxerxes, reverendissime pater domineque piissime, non minus regium esse putavit laeto animo parva accipere quam magna atque ampla aliis impendere. Aliquando enim in itinere quendam rusticum sibi obviam habuit, qui iunctis in concavum manibus ambabus aquam de flumine arreptam ei obtulit. Quam Artaxerxes subridens fidenti animo hausit, non rei parvitatem negligens sed promptam hominis voluntatem existimans. Ego quidem itidem animo illustri tuae Dominationis offero parvum hoc Plutarchi opusculum, in quo quid sequi principem deceat et quae vitare conveniat ut principatu dignus existat, breviter satisque abunde absolvitur. Atque ideo libentius ad huius operis interpretationem me contuli, ut qui tui regimen imperii laudant et tantae rerum molis gubernationem probant intelligant se a summorum philosophorum opinionibus minime discrepare. Si qui vero forte fortuna aliter sentiant, hi tarditate ea ingenii iudicandi sunt ut nihil altum neque egregium valeant intueri, qui ea quoque sunt impudentia ut arbitrentur nec alios id facere debere ad quod ipsi aspirare non possunt. Dimittamus ergo hos cum ignorantia sua, quoniam nullo pacto sunt audiendi, sed potius pistrino digni existimandi. Ad ipsum denique Plutarchum accedamus. Ro-

gat enim clementiam tuam ut qua facilitate aures ceteris quotidie praestas, eadem animi tranquillitate hoc suum opusculum legas.

1–8 *rubricam de cod. C sumpsi* | 3 GABRIELEM C | 5 BONONIENSI C| 8–11 cf. AESOP Rinucii Epist. Altera 23–26 | 9 -que] quam β | 10 aliis] parvis C | 11–14 cf. Guarinum, Prooem. in Plut. Marium | 15 itidem *om.* A | 16 Dominationi VAC | 17 decet V β A C | 17–18 ut . . . existat *post* "*absolvitur*" β | 19 me *om.* β | tui *om* C | Regimem β | 21 opiniobus β | minime] magnopere A *om.* C| 26 sunt] sub- A.

PLUTARCHI OPUSCULUM QUID PRINCIPEM DECET LATINUM PER RINUCIUM FACTUM. *Platonem Kyrenei hortati sunt ut quas . . . multa se indigna Lucullum audire coegit.*

PYTHAGORAS, AUREA VERBA

Codices: ***V** 100^{r}–101^{v}; ***B** 111^{r}–113^{r} (desunt rubricae); ***β** 207^{v}–209^{v}; **Bodleian. Canon. Misc. 169* 80^{r}–81^{r}.

(PROOEMIUM: e codd. V B β edidi.) PYTHAGORAE PHILOSOPHI AUREA VERBA E GRAECO LATINA PER RYNUCIUM FACTA AD LITTERATISSIMUM VIRUM .P. CICCUM PAULUM CIVEM ROMANUM PROHEMIUM. Credo, ni fallor, mi suavissime Petre, agrum cultoribus non minus esse gratum qui parum herbarum tritici vero producit quam plurimum, nec vineam vinitori minus esse acceptam quae in pampinis deficiat et uvis exuberet, necnon arborem quae raris foliis tegitur minus esse caram dummodo pomis suavibus abundet. Quippe folia quae umbram praecipue faciunt eos forte delectant, qui veri fructus non degustant saporem. Tu igitur qui admodum omissis foliis frugem verae virtutis sequeris, qua sola animus noster pascitur, non contemnas haec Pythagorae philosophi inter illustres clarissimi dicta brevibus ac nudis ut sic dicam verbis prolata, quae Salvatoris nostri nataliciorum nocte proxima e graeco feci latina et tuo perscripsi nomine, nam licet nulla verborum pompa nec aliquo ornatu venerint in Latium sed simplici dumtaxat veste prout exstant apud suos, tamen suci tantum ac virium intra se continent quod non de nihilo a doctissimis hominibus verba aurea sunt cognominata. Haec si pro tua diligentia paulo diligentius legeris, non dubito quin uti congruum est ea plurimi licitaberis. Sed iam ad ipsa verba descendamus.

1–4 *rubricam de cod. V sumpsi* | 5 mi *om.* V | 7 vinatori V | pampnis B | 10 faciunt praecipue B | 11 obmissis V B | 12 depascitur B.

PYTHAGORAE PHILOSOPHI AUREA VERBA INCIPIUNT. *Deos immortales ut lege constitutum est in primis adorato, . . . immortalis existes et non amplius mortalis neque corruptibilis.*

Hoc opusculum, quod hortatu praeceptoris benemerentis E. K. Rand Cantabrigiae in Nov. Ang. anno MCMV susceperam, postquam ad summos in philosophia honores rite impetrandos, approbantibus viris cl. J. W. White et C. H. Moore, anno MCMVII adhibui, Romae in Schola Americana praeside viro cl. J. B. Carter biennium peregrinans confeci. Nunc demum omnia recensita publici iuris facio.